

COMMENTATIO DE GEOGRAPHIA HERODOTI CUM TABULA ORBIS TERRARUM EX IPSIUS OPINIONE


ILLUSTRAVIT

GUILELMUS DOENNIGES

DR. PHIL.

APUD NICOLAI

MDCCCXXXV.



COMMENTATIO DE GEOGRAPHIA HERODOTI CUM TABULA ORBIS TERRARUM EX IPSIUS OPINIONE

ILLUSTRAVIT

GUILELMUS DOENNIGES

DR. PHIL.

APUD [illegible]

[illegible]

VIRO ILLUSTRISSIMO

LEOPOLDO RANKE

D. D. D.

AUCTOR

I.

DE TABULA TERRARUM UNIVERSA EX OPINIONE HERODOTI.

Opera, commentationes et tabulas composuerunt Viri doctissimi:

Rennel. Geographical system of Herodotus. London 1800 cum tabula I. p. 1.

Niebuhr. Kleine Historische und Philologische Schriften. Bonn 1828, *S.* 132.

Uckert. Geographie der Griechen und Römer. Karte. I. 1.

Horum tabulae primo adspectu maxime inter se diversas se produnt. Uckerti tabula forma sua rotunda fere et undique terminata similis est Homerico orbi terrarum; Rennelii mappa orbi ex Eratosthenis opinione depicto; Niebuhrii tabula nullos habet multorum locorum certos fines, quare optima est pro verbis ipsius Herodoti postea laudandis.

Definiendo autem Herodoti circuitui terrarum aptissima sunt loca l. IV. c. 36—45. Ibi primum dicit:

»Rideo quum multos iam video describentes terrae circuitus, nec eorum ullum rectam rationem habentem quam ducem sequatur: qui Oceanum describunt quasi terram undique circumfluat, quam rotundam fingunt ve-

lut ex torno (οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ, τήν τε γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου), et Asiam aequalem faciunt Europae.«

Nullos igitur certos et terminatos fines, quoniam sint incogniti, vult Herodotus; quod liquet etiam e verbis antecedentibus, quibus negat noster Hyperboreos (εἰ δέ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ Ὑπερνότιοι ἄλλοι), ab aliis in extremis terrarum partibus borealibus positos. Falso igitur Uckertus extremis omnibus partibus certos fines depinxit.

Deinde noster progreditur ad definiendam magnitudinem Asiae et Libyae et Europae, quae ei est maxima terrae pars. Nec tamen in tres partes universam terram dividit, sed in alteram sectionem Asiae Libyaeque et in alteram Europae. IV, 42.

Θωυμάζω ὦν τῶν διουρισάντων καὶ διελόντων Λιβύην τε καὶ Ἀσίην καὶ Εὐρώπην· οὐ γὰρ σμικρὰ τὰ διαφέροντα αὐτέων ἐστί· μήκεϊ μὲν γὰρ παρ' ἀμφοτέρας παρήκει ἡ Εὐρώπη· εὖρεος δὲ πέρι οὐδὲ συμβαλέειν ἀξίη φαίνεταί μοι εἶναι etc. et IV. 44 οὕτω καὶ τῆς Ἀσίης πλὴν τὰ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τὰ ἄλλα ἀνεύρηται ὁμοῖα παρεχομένη τῇ Λιβύῃ. et c. 41 Ἡ δὲ Λιβύη ἐν τῇ ἀκτῇ τῇ ἑτέρῃ ἐστί. Fines Asiae et Libyae et Europae Herodotus enarrat verbis his:

Asiae limites, orae, centrum.

Partem australem Asiae alluit mare Erythraeum, septentrionalem Pontus Euxinus et Phasis fluvius, inter quos hi populi centrum Asiae incolunt (IV, 37):

Persae, meridionale mare quod Erythraeum vocatur accolentes: super hos septentrionem versus

Medi, super Medos

Saspires, super Saspires

Colchi, qui ad boreale mare (Pontum) in quod Phasis fluvius influit pertinent.

E centro hoc porriguntur **duae orae** (ἀκταὶ διφάσιαι) occidentem versus in maria. IV c. 38.

Septentrionalis ora a Phasi incipiens e **boreali parte** in mare excurrit secundum Pontum et Hellespontum usque ad Troicum Sigeum; **ex australi parte** initium capit a Myriandrico sinu in confinibus Phoenices et Ciliciae sito, et in mare porrigitur usque ad Triopium promontorium. De populis huius orae v. infra.

Meridionalis ora (c. 39) a Perside incipiens in Erythraeum mare porrigitur, estque in primo tractu Persica, deinde Assyriaca, post Assyriacam Arabica ora; boreali vero ex parte a Perside usque ad Phoenicen lata et ampla regio est; a Phoenice autem haec ora per mare mediterraneum secundum Syriam Palaestinam ad Aegyptum porrigitur, **in quam desinit**, hancque oram tres tantum incolunt populi.

Addit autem Herodotus, non vere desinere hanc oram, sed solummodo ex usu loquendi (λήγει δὲ αὐτὴ, οὐ λήγουσα εἰ μὴ νόμῳ), quibus Hecataei divisionem spectare videtur, quod affirmatur opinione nostri (c. 41) Libyam quoque in Asiae meridionali ora esse sitam (ἡ δὲ Λιβύη ἐν τῇ ἀκτῇ τῇ ἑτέρῃ ἐστί· ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου Λιβύη ἤδη ἐκδέκεται. κατὰ μὲν νυν Αἴγυπτον ἡ ἀκτὴ αὕτη στεινή ἐστι· ἀπὸ γὰρ τῆσδε τῆς θαλάσσης ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν δέκα μυριάδες εἰσὶ ὀργυιέων· αὗται δ' ἂν εἶεν χίλιοι στάδιοι· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ στεινοῦ τούτου κάρτα πλα-

τέα τυγχάνει ἐοῦσα ἀκτῇ, ἥτις Λιβύη κέκληται), quae verba Niebuhr in commentatione de geographia Herodoti plane transmisit. v. *Kl. Phil. u. Hist. Schriften p.* 153.

Restat **Asiae pars orientalis** ultra centrum illud. Haec terminata est è septentrione Caspio mari et Araxe fluvio, ex oriente deserta illa terra ultra Indos, e meridie Erythraeo mari, ex occidente centro ipso. c. 40. (τὰ δὲ κατύπερθε Περσέων καὶ Μήδων καὶ Σασπείρων καὶ Κόλχων τὰ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα ἔνθεν μὲν ἡ Ἐρυθρὴ θάλασσα παρήκει, πρὸς Βορέω δὲ ἡ Κασπίη τε θάλασσα καὶ ὁ Ἀράξης ποταμὸς ῥέων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. μέχρι δὲ τῆς Ἰνδικῆς οἰκέεται Ἀσίη· τὸ δὲ ἀπὸ ταύτης ἐρῆμος ἤδη τὸ πρὸς τὴν ἕω, οὐδ' ἔχει οὐδεὶς φράσαι οἷον δή τι ἐστι).

Talis igitur ac tam parva est Herodotea Asia.

Limites Libyae. c. 41.

Libya terminatur Aegypto vel potius ea parte Aegypti quae (II, 17) Asiae pars Graecis nominatur; a ceteris terris undique mari disiungitur, quod ipsa se declarat esse circumfluam. IV, 42. (Λιβύη μὲν γὰρ δηλοῖ ἑωυτὴν ἐοῦσα περίῤῥυτος πλὴν ὅσον αὐτῆς πρὸς τὴν Ἀσίην οὐρίζει.

Fines Europae.

Meridiem versus separatur ab Asia flumine Phasi, Caucaso monte, Caspio mari et Araxe fluvio. c. 45. deinde e meridie alluitur mari mediterraneo; nec vero compertum habuit noster nec ab oriente nec a septentrione num mari sit circumfluxa.

Maxima autem est pars terrae secundum Libyam Asiamque porrecta. c. 45. —

Haec est terrarum divisio Herodotea, quae quidem tota, excepta illa Europae parte quae pertinet ad Phasin et Araxen fluvios (quoniam Her. narrat IV 45 aliis esse fines Europae Tanain fluvium et Cimmeria Porthmea), ab Hecataeo Milesio iam esse dicta descriptaque mihi videtur, quia Hecataeus in descriptione orbis terrarum (περιόδῳ γῆς) Europam alteram, Asiam Libyamque vero alteram terrae partem nominat, atque Aegyptum in duas partes seiungit. Collige Hecataei Milesii fragmenta ed. Rud. Henr. Clausen p. 13. et fr. 295. 296.

II.

MARIA HERODOTI.

a. Intra columnas Herculeas.

Maria et fluvios nonnullos separatos a cetera descriptione orbis terrarum Herodoti pertractemus oportet, quum Herodoto maria et fluvii, non, ut nobis constat, montes praecipue et maria tantum, sectiones finesque populorum et terrarum faciunt.

Sed antequam disseramus de maribus ipsis, liceat nobis aliquid dicere de verbis μῆκος et εὖρος, quam significationem habeant apud nostrum definientem marium porrectionem; verba enim μῆκος et εὖρος in regionibus emetiendis nostro sensu semper accipienda sunt respondentque nostris longitudini (*Länge*) pro porrectione ex oriente occidentem versus, et latitudini e septentrione meridiem versus (*Breite*).

Excepta et contrario sensu posita sunt loca IV, 85 et II. 11, quibus Herodotus de Bospori Hellespontique

et de Arabici sinus tractu disserit (IV, 85. τούτου τοῦ πελάγεος τὸ στόμα ἐστὶ εὖρος τέσσαρες στάδιοι, μῆκος δὲ τοῦ στόματος, ὁ αὐχὴν, τὸ δὴ Βόσπορος κέκληται, κατ' ὃ δὴ ἔζευκτο ἡ γέφυρα, ἐπὶ σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν ἐστι — — ἡ δὲ Προποντὶς, ἐοῦσα εὖρος μὲν σταδίων πενταποσίων, μῆκος δὲ τετρακοσίων καὶ χιλίων, καταδιδοῖ ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, ἐόντα στεινότητι μὲν ἑπτὰ σταδίους, μῆκος δὲ τετρακοσίους. ἐκδιδοῖ δὲ ὁ Ἑλλήσποντος ἐς χάσμα πελάγεος τὸ δὴ Αἰγαῖον καλέεται). Haec praemittenda nobis videbantur, quod nos illis locis exceptis longitudine et latitudine verbis semper ex hodierna consuetudine utemur.

Mare nostrum. ἥδε ἡ θάλασσα.

Centrum omnium marium, ut terrarum Graeciam, mare mediterraneum fuisse Herodoto, res est notissima, nominaturque Herodoto ἥδε ἡ θάλασσα, vel ἡ θάλασσα IV, 38 al. l. atque ubi de aliis meridionalibus maribus narrat (42 al. l.) Βορηΐη θάλασσα. Et tam cognitum posuit hoc, ut nullo loco de demensione aliquid addiderit.

Partes huius maris refert multa:

Sardonium mare (τὸ Σαρδόνιον πέλαγος καλεόμενον) I, 166 inter Italiam et Sardiniam;

Thracicum mare (τὸ Θρηΐκιον πέλαγος) VII, 176. e meridie Thracicae orae;

Aegyptium mare (τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος) apud septentrionalem Aegypti oram;

Aegaeum mare, πέλαγος τὸ δὴ Αἰγαῖον καλέεται) IV, 85. et notissimas complures alias partes, quas suo quamque loco attingemus.

Maria autem contigua fretaque disertius nobis descripsit Herodotus.

Hellespontus. Ἑλλήσποντος IV. 86. 81. 85. 87.

Adsentiendum quidem est Breigero (v. Breigeri comment. de difficilioribus quibusdam Asiae Herod. apud Schweighäuser. ed. Herod. p. 102. Vol. I.) ab Herodoto nonnunquam (exempli gr. IV, 138. VI, 33.) permistas esse notiones Hellesponti et Propontidis, sed negandum est Herodotum ignorasse nec usquam vidisse nec unquam pernavigasse fretum illud; nam quae Her. nobis reliquit de longitudine et latitudine freti, nullo modo falsa vel ambigua vocari possunt, quamquam omnes alii posteriores scriptores (Scylax p. 28. Strabo XIII. p. 505. Ptol. III. 11.), praecipue vero recentiores peregrinatores multis stadiis, ut ita dicam, a sententia Herodotea remoti sunt; quippe Her. Hellesponti longitudinem computat maximo tractu a Propontide usque ad Aegaeum mare 400 stadiorum, ceteri autem omnes minorem dimensionem computaverunt. Latitudinem vero mihi videtur ex longitudine pontis Xerxis VII. 33, 34. septem stadiorum computasse. IV. 85. (repete loc. supra iam commemorat. usque ad haec ἐς τὸν Ἑλλήσποντον ἐόντα στεινότητι μὲν ἑπτὰ σταδίους, μῆκος δὲ τετρακοσίους. ἔστι δὲ ἑπτὰ στάδια ἐξ Ἀβύδου ἐς τὴν ἀκαντίον.

Propontis. ἡ Προποντίς.

Pertinet ab Hellesponto usque ad Thracicum Bosporum; utroque enim continetur freto. IV. 85. V. 122. His duobis locis describitur Propontis, et omnia alia de eo mari quae Herodoto attribuerunt viri docti, mihi quidem ambigua et dubiosa videntur. Affert autem Herodotus IV. 85. patere hoc mare in longitudinem 1400

stadia, in latitudinem 500 stadia, et verisimile quidem videtur, sed minime certum est, stadia, quibus Her. computavit, saepissime esse minora, non Olympica; sed quid dicamus, quid postulemus de mensura et comparatione oram legentis navigatoris?

Latitudinem minorem, longitudinem maiorem habere Herodotum satis scio, et id quidem omnino magni momenti apparet; minime vero constabit, Herodotum hoc eodem loco minoribus stadiis computasse, qua coniectura tota illa Breigerii sententia ap. Schweigh. Her. I. p. 107. nititur.

Bosporus Thracicus.

Θρηΐκιος Βόσπορος, IV. 83.

Nominatur etiam Βόσπορος, 85 τὸ στόμα τοῦ πόντου.

Longitudinem Bospori aestimat Herodotus IV. 85 stadiorum 120, latitudinem vero 4 stad.

Praetermittentes quae iam ab aliis diserte de hoc freto dicta sunt (v. Breiger), veniamus ad Ponti descriptionem.

Pontus Euxinus.

Ὁ Πόντος ὁ Εὔξεινος IV. 46. ὁ Πόντος 85.

Nominatur etiam, ut mare mediterraneum in antec., boreale mare Βορηΐη θάλασσα IV. 37, quod explicatur nomen adiecto: in quod Phasis fluvius influit (ἐς τὴν Φᾶσις ποταμὸς ἐκδιδοῖ.)

Recentiorum fines Ponti Euxini nihil ad nostram rem pertinent, nec mihi repetenda sunt citata de dimensione huius maris apud Breiger: excerpta ex auctoribus veteribus. v. Breiger. de difficilioribus qui-

busdam Asiae Herodoteae ap. Schw. Herod. p. 109. Vol. I.

Ut autem ad oculos demonstremus errorem Herodoti de Ponto et praecipue de longitudine et latitudine huius maris et de situ ostii Istri quod e contrario Sinopae urbi posuit, omnia quae dicta sunt a nostro de Ponto, hoc loco ponemus.

At priusquam haec adferamus, nobis etiam attingenda videtur falsa ab Uckerto depicta Sinope et peninsula illa a Cimmeriis coloniis frequentata, quae apparent e l. c. IV. 12. IV. 85, 46. 37.

(Φαίνονται δὲ οἱ Κιμμέριοι φεύγοντες ἐς τὴν Ἀσίην τοὺς Σκύθας, καὶ τὴν χερσόνησον κτίσαντες, ἐν τῇ νῦν Σινώπη πόλις Ἑλλὰς οἴκισται. — τοῦ τὸ μὲν μῆκός εἰσι στάδιοι ἑκατὸν καὶ χίλιοι καὶ μύριοι, τὸ δὲ εὖρος, τῇ εὐρύτατος αὐτὸς ἑωυτοῦ, στάδιοι τριηκόσιοι καὶ τρισχίλιοι.)

Constat mihi ex his locis, Herodotum oram Ponti australem quidem navigasse, quoniam longitudinem computat a Bosporo Thracico usque ad Phasin fluvium maximam, et oram ipsam illam peninsulamque Sinopae tam accurate cognovit.

»Pontus Eux. prae regionibus omnibus habet populos incultissimos, si Scythiam gentem excipias. Neque enim populum ullum ex his, qui cis Pontum habitant, possumus sapientiae causa memorare, nec virum novimus qui eruditionis nomine claruerit, nisi Scythicum populum et in hoc Anacharsin.« IV. 46.

Haec verba memorabilia sunt, quippe quae divisionem populorum Herodoteam maria respicientem praebeant.

Tum etiam IV. 85. 86: Pelagorum omnium maxime mirabilis et spectatu sane dignus Pontus est.

Longitudinem undecim milium et centum stadiorum, latitudinem vero, ubi maxima nostro videtur, aestimat stadiorum ter mille et trecentorum.

Ut huius rationis veritas affirmaretur, addidit c. 86 rationem emetiendorum marium: νηῦς ἐπίπαν μάλιστά κη κατανύει ἐν μακρημερίῃ ὀργυιέας ἑπτακιςμυρίας, νυκτὸς δὲ ἑξακιςμυρίας. ἤδη ὦν ἐς μὲν Φᾶσιν ἀπὸ τοῦ στόματος, τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου μακρότατον, ἡμερέων ἐννέα πλόος ἐστὶ καὶ νυκτῶν ὀκτώ· αὗται ἕνδεκα μυράδες καὶ ἑκατὸν ὀργυιέων γίνονται· ἐκ δὲ τῶν ὀργυιέων τουτέων στάδιοι ἑκατὸν καὶ χίλιοι καὶ μυριοί εἰσι. ἐς δὲ Θεμισκύρην τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι ποταμῷ ἐκ τῆς Σινδικῆς, κατὰ τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου εὐρύτατον, τριών τε ἡμερέων καὶ δύο νυκτῶν πλόος· αὗται δὲ τρεῖς καὶ τριήκοντα μυριάδες ὀργυιέων γίνονται, στάδιοι δὲ τριηκόσιοι καὶ τριςχίλιοι. ὁ μέν νυν Πόντος οὗτος καὶ Βόσπορος καὶ Ἑλλήσποντος οὕτω τέ μοι μεμετρέαται καὶ κατὰ τὰ εἰρημένα πεφύκασι.

Maxima longitudo igitur a Phasi usque ad Bosporum, maxima vero latitudo, quam Uckertus paullulo remotiorem a Themiscyra falso posuit, inter Themiscyram et Sindicam regionem porrigitur.

Maeotis Palus.

Λίμνη Μαιῶτις, Μαιῆτις IV. 12. 86. 123.

Lacus, qui in Pontum influit, haud multo minor ipso Ponto, vocatur **Maeotis** palus et mater Ponti et **Maeetis** IV. 86 ἣ Μαιῆτίς τε καλέεται καὶ μήτηρ τοῦ Πόντου.

Hic maximus omnium lacuum per Bosporum Cimmerium IV. 12 in Pontum se exonerat.

Maeotidis extremam partem quidem recte nominat Her. eam in quam Tanais fluvius influit, tum autem omnia

nobis interpretantibus ambigua sunt et dubiosa, quae tradidit spectantia ad hoc mare regionesque adiacentes.

Non ignoramus quattuor flumina Herodotum illius maris IV. 123 Lycum, Oarum, Tanain et Syrgin (Hyrgin nominatum c. 57) per Maeotas fluentia, sed quid amplius?

Quid dicamus, quid interpretemur de his fluviis, de nominibus eorum, quid dicamus de tractu et magnitudine? Non enim mihi videntur flumina illa explicanda et distinguenda hodiernis nominibus, quam provinciam Mannert et Rennel susceperunt; nam Tanain Don esse per se liquet, Lycum vero et Oarum et Surgin Wolga, Uzen, Ural esse (vel Hypacyrin?) nullo modo constabit mappam hodiernam inspicientibus. Tractus vero paludis in septentrionem (Uckert habet contrarium) spectare mihi videtur, quum si in aliam porrigeretur plagam, Scythia pro opinione Herodoti non haberet quadratam formam (v. autem Scythia in seq.), et Bosporum Cimmerium, de quo Herod. nihil fere nisi nomen tradidit, tam ingenti magnitudine, quam apud Uckertum spectamus, depingi necesse esset.

Quid enim? Nonne dixisset alia plura verba Herodotus de Bosporo Cimmerio tam magno ut devorare posset totam Propontidem cum Bosporo Hellespontoque?

Quare Niebuhr, quamquam huius maris minorem amplitudinem habet, in mappa sua tractum Maeotidis septentrionem versus spectantem recte posuisse mihi videtur.

Attingendus nunc etiam est locus IV. 21, ubi recessus commemoratur ὁ μυχὸς τῆς Μαιήτιδος λίμνης.

Narratur, ab intimo Maeotidis paludis recessu trans Tanain fluvium Sauromatarum regionem initium capere,

et hunc populum septentrionem versus terram in quindecim dierum iter patentem tenere.

Quodsi noster illam extremam partem, in quam Tanais fluvius influit, cognovit: qua tandem ratione Uckert recessum illum intimum maris Maeotidis orientem versus posuit nec Tanain fluvium in recessum maris huius intimum influentem depinxit?

Scilicet, Maeotidis tractu orientem versus designato influentibusque in idem mare illis aequalem cursum tenentibus Lyco Oaroque fluviis, quippe qui spatium sumerent, Tanain falso sese non exonerantem in recessum illum delineare coactus est.

Caspium mare,
ἡ Κασπίη θάλασσα.

Nullo modo, quamquam contraria multis visa sunt, Herodotus Caspium mare spectavit, nec littora adiit aut navigavit; nam fere omnia, quae ab eo de regionibus his tradita sunt, tam valde a veritate abhorrent, ut omnis explicatio in absurdum ducat.

Nusquam apud nostrum plures Araxes fluvii, quod, ut interpretationem aptissimam omniaque complectentem darent, voluerunt Buherius ac Bayerus; nusquam Wolga et alii fluvii permagni hoc mare influentes tanguntur. Et quid est quod nos, homines eruditissimi, hodie scimus de his regionibus? Non igitur mireris Herodotum fuisse imperitum tam remotarum terrarum.

Omnia vero, quae de magnitudine, de tractu et porrectione Caspii maris ex opinione Herodoti dicuntur apud Breigerum in comm. de diff. quib. Schweigh. Her. I. 115—120 plane falsa sunt, itemque Niebuhr, Larcher et ma-

xime Rennel a vero remoti sunt. Nam I. 202. 203 nobis tradidit Her. de Caspio mari haec:

„Ἡ δὲ Κασπίη θάλασσά ἐστι ἐπ' ἑωυτῆς οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. — ἡ δὲ Κασπίη ἐστί ἑτέρη ἐπ' ἑωυτῆς, ἐοῦσα μῆκος μὲν πλόου εἰρεσίῃ χρεωμένῳ πεντεκαίδεκα ἡμερέων."

»Existit autem Caspium mare seorsim per se et cum reliquo mari non miscetur; longitudinem habet navigationis dierum quindecim navi remis agitata« (v. de navigatione unius diei IV. 86) id. e. longitud. 10500 stad.; latitud. 5600 stad.; quare Herodoto fuisse longitudine maius, latitudine paulo minus Ponto Caspium mare liquet. Hac in magnitudine peccarunt Niebuhr et Rennel, quorum uterque minoris spatii illud delineavit; collige supra dicta de Ponto.

Quid nunc autem nobis censendum de tractu Caspii maris?

Breiger, Larcher, Rennel contrariam defendunt porrectionem, atque Uckert et Niebuhr posuerunt.

Nullius vero momenti attulerunt argumenta. Equidem rogare velim, quod sit argumentationis exemplum et consequentiae exemplar, cum ex Herodoti relatis »Caucasum extendi ad Caspii maris plagam occidentalem« Breigerus colligit, spatium a meridie septentrionem versus usque ad Caucasum ei notum fuisse, cuius quidem spatii cum tanta sit longitudo, quae latitudinem vel iamiam superet vel certe aequet, necesse esse Herodotum vera vidisse, et Caspii maris longitudinem innuisse, quae a meridie septentrionem versus extendatur etc. v. Breiger. comm. de diff. quib. Asiae Herod. ap. Schw. I. 117. Haec fere ridicula sunt.

Nec Larcher contra Cellarium ullum ipsius opinionis argumentum addit (Histoire d'Hérodote traduite du Grec par Mr. Larcher. Vol. VII ind. »Mer Caspienne«) coll. etiam Geographical system of Herodotus by James Rennel. Section VII.

Mihi constat e porrectione illa ab Her. significata verbis (I 203. 204) καὶ τὰ μὲν πρὸς τὴν ἑσπέρην φέροντα τῆς θαλάσσης ταύτης etc. — τὰ μὲν δὴ πρὸς ἑσπέρην τῆς θαλάσσης ταύτης τῆς Κασπίης καλεομένης etc. et e nominatis occidentalibus tantum et orientalibus, non borealibus et australibus finibus, tractum Herodotei maris Caspii ex occidente ad orientem tendere. »Occidentalem igitur plagam huius maris Caucasus mons includit, versus auroram vero et orientem solem excipit planities immensae amplitudinis prospectu« (τὰ μὲν δὴ πρὸς ἑσπέρην τῆς θαλάσσης ὁ Καύκασος ἀπέργει· τὰ δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα πεδίον ἐκδέκεται πλῆθος ἄπειρον ἐς ἄποψιν.) Itaque quoniam mare Caspium fines Asiae ex parte facit, quo concludi fortasse potest id porrigi e longitudine, Niebuhrio et Uckerto adsentio, quamquam uterque minoris magnitudinis illud delineavit.

b. Maria exteriora Herodoti. αἱ ἔξω στηλέων θάλασσαι.

Atlanticum, Australe, Erythraeum mare. Arabicus sinus.

Recte Her. rettulit I. 202. haec omnia facere unum mare: τὴν μὲν γὰρ Ἕλληνες ναυτίλλονται πᾶσαν, καὶ ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη καὶ ἡ Ἐρυθρὴ μία τυγχάνει ἐοῦσα.

»Nam et totum, quod Graeci navigant mare (nostrum m.) et quod est extra columnas, quod ἡ Ατλαντὶς

Atlanticum vocatur, et **Erythraeum** ἡ Ἐρυθρή (ἡ εὐρέη θάλ. II 11), haec omnia unum sunt mare et contiguum.«

Quo usque autem occidentem aut meridiem versus porrigeretur mare Atlanticum, non tradidit Her., alio autem loco nominat IV. 42 νοτίην θάλασσαν, mare **Australe**, separatum ab Erythraeo, alio ipse dicit idem esse mare I. 158. (ὁρμηθέντες ὦν οἱ Φοίνικες ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης ἔπλεον τὴν νοτίην θάλασσαν — ἐς τὴν νοτίην καὶ Ἐρυθρὴν τὴν αὐτὴν ταύτην καλεομένην; IV 37; ἐπὶ τὴν νοτίην θάλασσαν τὴν Ἐρυθρὴν καλεομένην v. II 11).

IV. 41. Erythraeum mare complectitur etiam **Arabicum sinum**, ita ut hic plane omittatur (κατὰ μὲν νυν Αἴγυπτον ἡ ἀκτὴ αὕτη στεινή ἐστι. ἀπὸ γὰρ τῆσδε τῆς θαλάσσης ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν δέκα μυριάδες εἰσὶ ὀργυιέων etc.

Nonne mare Erythraeum omnia australia comprehendere videtur? Sane quidem; sed ubi noster distinctius loquitur, ubique de partibus huius maris aliquid tradidit, ibi separata Erythraeum et Australe mare et Arabicum sinum nominat. v. IV. 42.

Fluvii huius australis maris sunt Indus, Tigris, Euphrates, Corys. I. 180. 189. IV. 20. III. 9.

Arabicus sinus. Ὁ κόλπος Ἀράβιος. II. 158. 11. 152. 102. II. 8. 29. 159. 202. IV. 39. 41. 42. 44. 158.

Complura loca (v. antec.) Herodotum Arabicum sinum a mari Erythraeo separasse demonstrant. I. 102. II. 11. 159. IV. 42.

Quantam autem longitudinem Her. nobis tradiderit, plane non ambiguum incertumque mihi videtur, nam noster II. 11. longitudinem navigationis, quum ab intimo

sinus recessu navi remis agitata proficiscaris donec in mare altum perveneris, tantam esse dicit, ut dies in ea consumantur quadraginta.

Ἔστι δὲ τῆς Ἀραβίης χώρης, Αἰγύπτου δὲ οὐ πρόσω, κόλπος θαλάσσης, μακρὸς οὕτω δή τι καὶ στενός, ὡς ἔρχομαι φράσων. μῆκος μὲν πλόου ἀρξαμένῳ ἐκ μυχοῦ διεκπλῶσαι ἐς τὴν εὐρέην θάλασσαν, ἡμέραι ἀναισιμοῦνται τεσσαράκοντα, εἰρεσίῃ χρεωμένῳ.

Hi 40 dies nobis consumunt navigationem stadiorum 28000, quae duplicem Ponti latitudinem (longitudinem) transgrediuntur.

Quod vero huic numero nullus veterum auctorum consentit, et quoniam 700 miliaria Germ. nimium sint, Breigero non placuit haec computandi ratio licet adhibita in Ponti Euxini mensura, nam p. 99 ap. Schweigh. Her. I. non definitum esse, promit, num navis dimensionem instituens remis an velis ad ventum expansis acta sit.

Quid enim? Nonne eadem ratio est navigandi Ponti Euxini atque Arabici sinus, nonne ambo sunt maria, itaque oram legenti eadem mensura?

Haec Breigeriana disquirendi et explicandi via mihi quidem videtur ipsi viam carpenti scrupulum in calceo iacere et praeterea Herodotum minimae diligentiae, quamvis tacite, fere semper accusare.

Quae tum addidit Breiger p. 100. de fluxu et refluxu valde longeque impedientibus per Arabicum sinum navigantes, minime sunt momenti gravis, quod iam nobis Euxinum Pontum, olim ἄξενον nominatum, navi vehentibus saepissime gravem diuturnamque moram imposuisse notissima res se offert. Quae omnia in latitudinem quo-

que definiendam valent. H. 11: εὖρος δὲ, τῇ εὐρύτατός ἐστι ὁ κόλπος, ἥμισυ ἡμέρης πλόου. Latus igitur pro Her. opin. 350 stad. (8¾ mill. Germ.) Ex his maxime Herodotum per Arabic. sinum nec navi esse vectum nec multis locis eum vidisse liquet. Longitudo autem sinus nimia delineata in tabula non videbitur respicienti ad nostri opinionem Arabes esse extremum a meridie populum III. 107. v. infr.

III.
FLUVII HERODOTI.

Haec tandem est Herodotei orbis terrarum pars, in qua, ut ita dicam intimum eius geographicum spectaculum committitur, aptissimumque ad definiendas et designandas terras momentum invenitur.

Fluvii enim nostro sunt fines terrarum, faciuntque limites et sectiones populorum. Quod ad oculos demonstratur praecipue in Scythiae descriptione, qua inter singulos fluvios singulas gentes Scytharum incolere promsit; cui tamen haec etiam nunc dubitanda videantur, eum velim legere dicta nostri de Scio flumine IV. 49. »Scium fluvium e Paeonia et monte Rhodope fluere mediumque scindere Haemum.« (ἐκ δὲ Παιόνων καὶ οὔρεος Ῥοδόπης Σκίος ποταμὸς μέσον σχίζων τὸν Αἷμον).

Nilus fluvius Aegyptius.
Νεῖλος ὁ Αἰγύπτιος ποταμός.

Terminum facit inter Asiam et Libyam IV 45. II. 16. 17 estque uberrimum omnium fluminum.

Semper ab Her. cum Istro fluvio comparatur, quum huic oppositum attamen aequalem vel similem certe

cursum habeat II. 34; quare illos duo fluvios hac in serie componere nobis placuit.

Fontes Nili et cursus.

Nobis usque ad hanc diem incogniti sunt fontes, v. Ritter. Die Erdkunde I. p. 525. Ut fere omnes, qui priori tempore usque ad d'Anvillium de terrarum ratione scripserunt, fontes Nili multo longius ad occidentem versus ponunt, ita accidit Herodoto quoque, qui narratione scribae in Sai oppido, fluere Nilum e duobus montibus Crophi et Mophi inter Syenen et Elephantinen sitis, prudenter negata, compertum habere vult Nili cursum ad quattuor mensium ultra Aegyptum navigationem viamque; etenim tot fuisse insumendos menses, si quis ad Automolos voluerit proficisci.

Sed, si magis intueris Herodoti occiduam Libyam, cum Nilo plane permiscuit Nigrum fluvium, quem nos paullo abhinc demum cognovimus verum esse flumen huius nominis. II. 32. Audiverat enim ex hominibus nonnullis Cyrenaeis, qui se dicebant ad Ammonis venisse oraculum ibique sermones miscuisse cum Etearcho rege Ammoniorum, tum forte ex aliis sermonibus incidisse in confabulationem de Nilo, cuius fontes nemini essent cogniti, et dixisse Etearchum: »venisse ad se olim homines Nasamonas, ex quibus quaesisset, an aliquid amplius haberent, quae de desertis dicerent Libyae, hos narrasse, fuisse apud se dynastarum quorundam filios petulantes, qui postquam virilem attigissent aetatem, quum alia curiosius machinati sint, tum vero quinque e suo numero sorte designaverint, solitudines Libyae lu-

straturos operamque daturos, ut aliquid amplius viderent, quam hi qui eas quam longissime inspexissent. Iuvenes igitur illos ab aequalibus suis emissos aqua et cibariis bene instructos, primum terram habitatam peragrasse, eaque traiecta, pervenisse in eam quae feris referta, tum ex hac transisse in desertam, iter occidentem versus facientes. Postquam multum terrae arenosae compluribus diebus permeassent, conspexisse tandem aliquando arbores, accepisseque et fructum arborum gustasse. Gustantibus vero supervenisse homines parvos, minores modica statura, qui eos prehensos abduxissent, sermonem vero illorum non intellexisse Nasamonas nec illos sermonem ipsorum. Ab his igitur abductos esse per maximas paludes easque praetergressos pervenisse in oppidum, in quo cunctos fuisse his parvis statura aequales, nigros autem colore. Ad oppidum illud fluere flumen ingens, fluere autem ab occidente versus orientem, in eoque reperiri crocodilos« IV. c. 32.

Hoc flumen ingens pro Nilo habuit Her. cum Etearcho rege: fluere enim addit c. 33. Nilum ex Libya mediam illam secantem et parallelum Istro cursum habentem.

Ab Automolis autem semper orientem versus fluens exit Nilus per Meroën, circa Tachompso insulam et per lacum ab Aethiopibus Nomadibus circumhabitatam in Aegyptum. II. c. 29. 30. 34. ab Elephantine flectitur Nilus ad septentrionem versus II. 6. 7. 8. 9. 17. 18. 19. 34. usque ad Cercasorum oppidum; ab hoc autem oppido tres in vias scinditur, quarum una orientem versus tendit, quod

Pelusium ostium (τὸ Πηλούσιον στόμα) vocatur, altera via occidentem versus tendens

Canobicum ostium (τὸ Κανωβικὸν στόμα), media

Sebennyticum ostium (τὸ Σεβεννυτικὸν στόμα) nominatur. Sunt vero etiam duo alia ostia a Sebennytico dirempta et per se in mare exeuntia, quorum alterum

Saiticum (τὸ Σαιτικὸν στόμα); Strab. XVII 1154. τὸ Τανιτικόν, alterum

Mendesium ostium (τὸ Μενδήσιον στόμα) appellatur. Haec sunt vera fluvii ostia et nativa, nam

Bolbitinum (τὸ Βολβίτινον στ.) et

Bucolicum (τὸ Βουκολικὸν στ.) sunt manu effossa.

Quod autem Aegyptus ex adverso sita est maxime montanae Ciliciae, unde ad Sinopen oppidum via recta est expedito homini quinque dierum, Sinope autem ex opin. Herodoti Istri ex adverso est, censet: Nilum, totam Libyam percurrentem, aequalem esse Istro Europam scindenti totam.

»Copia autem propria vel potius nativa superat maxime Nilus Istrum, nam multis fluviis mixtus Ister fit maximus, sed in hunc nullus alius fluvius, immo ne fontis quidem rivulus influit, qui eum augeat.« IV. 50.

Octo Scythiae fluvii regiones populosque seiungentes.

I. Ister, (ὁ Ἴστρος ποταμός).

Ut Nilus mediam Libyam, ita mediam perfluit scinditque Europam, initium sumens a Celtis et Pyrene oppido, desinit autem totam Europam emensus in mare influens Ponti Euxini, ubi Istriam habitant coloni Milesiorum. I 33. IV.

49. Ἴστρος τε γὰρ ποταμός, ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρήνης πόλιος, ῥέει μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην· τελευτᾷ δὲ ὁ Ἴστρος ἐς θάλασσαν τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου τῇ Ἰστρίην οἱ Μιλησίων οἰκέουσι ἄποικοι; quare Scythiam a latere occidua adlui, finesque facit Scythiae et Thraciae, nam flectitur, ut Nilus e meridie ad septentrionem, Ister e septentrione meridiem versus, ita ut faciat Scythiam ex altero latere tam quadratam, quam Her. describit. IV. 99. Bidui itinere a Ponto Euxino scinditur in ostia sua, ubi collum fluvii ponte iunxit Darius IV. 89; ostium ipsum autem orientem versus tendit IV. 99.

Ister est maximus omnium fluviorum ex opin. Herodoti, quod multi alii in eum influunt. IV. 48. Septemdecim fluvios iam compertos habuit noster, qui se exonerant in Istrum.

ab occidente usque ad ostium orientem versus 17 fluvii sunt hi: IV 48. 49.

1) Alpis Ἄλπις ποταμός } ex regione super Umbricos fluens;
2) Carpis ποταμός Κάρπις }

3) Brongus Βρόγγος (Molda?) } ex Illyriis per campum Triballicum fluentes;
4) Angrus Ἄγγρος (Morava?) }

5) Scius Σκῖος ex Paeonia et monte Rhodope decurrens per medium Haemum (Iskru);

6) Artenes Ἀρτάνης (Stipul?) } per Thraciam et Crobyzos Thraces fluentes;
7) Noës Νόης (Ischu?) }
8) Athrys Ἄθρυς (Iantra?) }

9) Tibisis Τίβισις Theis? } ex Haemi montis verticibus septentrionem versus decurrentes.
10) Auras Αὔρας Turtukai? }
11) Atlas Ἄτλας Dristra? }

Qui undecim omnes e meridionali parte in Istrum influunt; e boreali

12) **Maris** Μάρις ποταμὸς ex Agathyrsis decurrens et quinque Scythici

13) **Tiarantus** Τιαραντός, magis ab occidente fluens minorque quam Porata; hodierno nomine fortasse Tiarantus nominetur Syl in occidua Wlachia;

14) **Ordessus**, Ὀρδησσός Siret?

15) **Naparis**, Νάπαρις Ardschisch?

16) **Ararus**, Ἀραρός Aluta? medium inter Tiarantum et Pyretum cursum hi tres ultimi tenent.

17) **Porata, Pyretus**, τὸν Σκύϑαι Πόρατα καλέουσι, Ἕλληνες δὲ Πυρητόν. »Magnum esse fluvium et ad orientem fluentem aquam suam cum Istro misceri.«

Ceteri magni Scythici fluvii proprium cursum tenentes 7:

II. **Tyras** IV. 11. 51. Τύρης; a septentrione progrediens fluere incipit ex magno lacu, qui in confinibus est Scythicae et Neuridis terrae; ad eius ostium habitant Graeci, qui Tyritae vocantur. οἱ Τυρῖται.

III. **Hypanis** Ὕπανις in ipsa Scythia oritur, effluitque e lacu, cui nomen merito inditum μήτηρ Ὑπάνιος mater Hypanis.

Ex hoc per quinque dierum navigationem brevis fluit et dulcis adhuc, inde vero ad quattuor dierum a mari navigationem amarus admodum, influit enim in eum fons tam amarus, ut, quamquam exiguus, inficiat tamen sapore suo Hypanin fluvium inter minores magnum. Est autem

fons amarus κρήνη πικρή in confinibus terrae **Scytharum Agricolarum** et **Alazonum**; nomen fonti eo ipsi unde fluit Scythica lingua **Exampaeus**

Ἐξαμπαῖος, Graecorum vero sermone Ἱεραὶ ὁδοί (Sacrae viae).

In Alazonum regione modico a se invicem intervallo fluunt Tyras et Hypanis, deinde vero cursum uterque inflectit, latius intervallum in medium relinquens. IV, 52.

IV. **Borysthenes**, Βορυσθένης ποταμός, maximus horum post Istrum idemque uberrimus Nilo Aegyptio excepto. Fontes non habebat Her. compertos, nam addit IV 53 usque ad regionem cui Gerrhus nomen (μέχρι μὲν νυν Γέῤῥου χώρου) IV 53, ad quam navigatio sit quadraginta dierum, compertum esse eum a septentrione fluere, ulterius vero per quos homines fluat, neminem dicere posse. Constare autem eum per desertum fluere in Scytharum Agricolarum regionem; hos enim iuxta illum ad decem dierum navigationem habitare amnem. v. Scythia. Ubi haud procul a mari fluit Borysthenes, ibi ei miscetur Hypanis et in eundem locum se exonerat. Quod ibi inter utrumque fluvium interiacet veluti **rostrum terrae** (ἐὸν ἔμβολον τῆς χώρης Ἱππόλεω ἄκρη καλέεται), **Hippolai promontorium** vocatur, in quo Dianae templum exstructum, ultra id templum vero ad Hypanin **Borysthenitae** habitant.

V. **Panticapes**. Παντικάπης. Etiam hic a septentrione fluit et lacu ortum capit; interiectamque inter hunc et Borysthenem regionem incolunt **Scythae Agricolae**, dein tunc **Hylaeam** (τὴν Ὑλαίην) permeat, qua transmissa Borystheni miscetur. IV. 54.

VI. **Hypacyris** Ὑπάκυρις. Postquam e lacu exiit et per medios Scythas Nomades fluxit, ostium habet prope **Carcinitin** oppidum (Καρκινῖτιν πόλιν) a dextra relinquens Hylaeam et **Achilleum** qui vocatur **Dromon** (Ἀχιλλήϊον καλεόμενον Δρόμον) IV. 55.

VII. Gerrhus (Γέῤῥος ποταμός) exit ex Borysthene circa illam regionis partem, usque ad quam cognitus Borysthenes est, inde a Borystheno distinctus nomen habet idem quod loci nomen est, Gerrhus. Mare versus fluens disterminat Nomadum regionem a Regiorum Scytharum terra, influit autem in Hypacyrin.

VIII. Tanais. Τάναϊς ποταμός. In superioribus e magno lacu terrae Thyssagetarum (IV. 123.) ortus influit per Maeotas in maiorem lacum, qui Maeotis vocatur, Regios Scythas a Sauromatis dividens. In hunc vero incidit alius fluvius, cui nomen est Hyrgis Ὕργις IV. 57. 115. 116.

Hyrgis vero videtur idem esse ac Syrgis, Σύργις, qui commemoratur IV. 123., quod Her. quattuor fluvios Lycum, Oarum, Tanain, Syrgin ab oriente occidentem versus enumerat, nec ullum alium fluvium huius vel similis nominis in occidua Tanaidis parte fluentem nominavit.

Oarus et Lycus vero (Λύκος, Ὄαρος) et hic Syrgis, per Maeotas postquam fluxere, in Maeotin paludem se exonerant.

Asiatici fluvii memorabiles et fines populis ponentes:

Halys fluvius Ἅλυς ποταμός. I, 6. 72. 75. V. 52.

Limes Medici imperii et Lydici Halys erat, qui ex Armenio monte ortus per Ciliciam fluit, deinde a dextra Matienos habet, a sinistra Phryges, quos praeterlapsus boream versus sursum fluens ab altera parte Syrios Cappadocas, a laeva vero Paphlagones disiungit; tum se exonerat in Pontum Euxinum. Ita Halys fluvius omnem fere inferiorem distermi-

nat Asiam a mari quod Cypro oppositum est ad Pontum usque Euxinum, estque haec cervix totius huius regionis; ad longitudinem quod attinet, itineris expedito viro quinque dies insumuntur. De veteri Halyos fluvii cursu, deducto a Thale Milesio v. I. 75, et de porta apud eum in Phrygia, per quam omnino oportebatire priusquam fluvium traiiceres, v. V. 52.

Phasis fluvius. Phasis Colchicus IV. 37. 38. 45. (ὁ ποταμὸς Φᾶσις ὁ Κόλχος) exonerat se in mare boreale Pontum Euxinum; limitesque ponit Asiae et Europae; unde orae illae quas iam supra attigimus in maria porriguntur. Haec sunt omnia ad nostram tabulam necessaria, quae Her. rettulit.

Euphrates. Εὐφρήτης I. 180. 185. 193.

Ex parte quidem vidisse Herodotum Euphraten fluvium verisimile est, sed fontes cursumque nonnisi auditu cognitos habuisse apparet e fontium loco non satis ab eo distincto I. 180 et aliis incertis narrationibus harum terrarum.

De eo quae nobis rettulit haec sunt: Mediam urbem Babylonem perfluit et dividit flumen cui nomen Euphrates. Is ex Armenia fluit amplus et altus, atque rapidus exonerat se in Erythraeum mare, ῥέει δὲ ἐξ Ἀρμενίων, ἐὼν μέγας καὶ βαθὺς καὶ ταχύς· ἐξίει δὲ οὗτος ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν).

Qui autem sunt Armenii Herodoto? ubi eorum sedes finesque? Nihil de iis tradidit, nisi incolere eos supra Assyrios I 194 et terminum Ciliciae et Armeniae esse flumen Euphratem. V. 52.

De cursu Euphratis curvato Herod. I 185 narrat: quum recto antea fluxisset, a regina Nitocride fossis

superne ductis tam tortuosum eum esse factum, ut ter in cursu suo ad quempiam Assyriae vicum perveniret I 185, cui nomen Ardericca (Ἀρδέρικκα); denique Euphratem influere in mare Erythraeum seiunctum nec Tigri mixtum. De ver. fontium loc. v. Breiger, de diff. quib. Schweigh. I p. 120, de antiquo alveo Plin. hist. natur. VI 31, et D'Anvillii diss. in mémoires de l'Acad. des inscript.; et de rivis canalibusque Her. ipsum I 193.

Tigris. Τίγρης. Τίγρις. I. 183. 193. II. 150. 156. V. 52.

In descripto Sardibus Susa itinere Herodotus habet illa saepissime iam a viris doctis exarata verba: ποταμοὶ δὲ νηυσὶ περητοὶ τέσσαρες διὰ ταύτης ῥέουσι, τοὺς πᾶσα ἀνάγκη διαπορθμεῦσαί ἐστι. πρῶτος μὲν Τίγρης. μετὰ δὲ δεύτερός τε καὶ τρίτος ὠὗτος οὐνομαζόμενος οὐκ ὠὗτος ἐὼν ποταμὸς, οὐδὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ῥέων· ὁ μὲν γὰρ πρότερος αὐτέων καταλεχθεὶς ἐξ Ἀρμενίων ῥέει, ὁ δὲ ὕστερον ἐκ Ματιηνῶν.

Pauwius emendavit sine codicum auctoritate οἱ δὲ ὕστερον pro ὁ δὲ ὕστερον, quo quidem omnis difficultas tollatur. Sin defendas lectionem ὁ δὲ ὕστερον, ut Schweighäuser, Larcher, Heeren, Breiger aliique viri doctissimi fecerunt, etiam ὁ μὲν γὰρ πρότερος Tigris et ὁ δὲ ὕστερον (complectens δευτερόν τε καὶ τρίτον) maior minorque Zabatus vel Zabates necesse erit.

Quid autem? Num credis Herodotum praetermisisse nomen fluviorum; quos rettulit cognomines esse? »Primus est Tigris, inquit, deinde secundus et tertius idem nomen habent, quamvis non idem sint fluvius, nec eodem ex loco fluens« etc. Equidem fateor hac in re

meum animum plane in contrarias sententias distractum, multoque magis esse ambiguum, quod Her. de cursu Tigris fluvii tam pauca disseruit, nec vero ullus alius auctor plures huius nominis rettulit. Etenim cetera loca quibus nominatur hic fluvius, sunt I. 189:

»Tigris Opin oppidum praeterfluens in Erythraeum mare infunditur« — — Τίγριν, ὁ δὲ παρὰ Ὦπιν πόλιν ῥέων ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν ἐκδιδοῖ· 193: »Fossarum maxima Babylonicarum, orienti hiberno obversa influit ex Euphrate in alium fluvium Tigrin, qui Ninum praeterfluit«: v. II. 150. VI. 20:

»In mare autem Erythraeum Tigris evolvitur iuxta Oppidum Ampe nominatum. In tabula igitur nostra depingere non possumus Zabates fluvios, quum Her. nullo loco nominet eos.

Ἴς. Is fluvius.

I. 179: ἔστι δὲ ἄλλη πόλις ἀπέχουσα ὀκτὼ ἡμερέων ὁδὸν ἀπὸ Βαβυλῶνος. Ἲς οὔνομα αὐτῇ. ἔνθα ἐστὶ ποταμὸς οὐ μέγας· Ἲς καὶ τῷ ποταμῷ τὸ οὔνομα. ἐςβάλλει δὲ οὗτος ἐς τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν τὸ ῥέεθρον. οὗτος ὦν ὁ Ἲς ποταμὸς ἅμα τῷ ὕδατι θρόμβους ἀσφάλτου ἀναδιδοῖ πολλούς· ἔνθεν ἡ ἄσφαλτος ἐς τὸ ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος ἐκομίσθη.

Quae verba, nisi Im influere in Euphratem Her. dixisset et hic locus insigne eius veritatis testimonium esset, non allegassem; etenim Herbelot: Bibl. orient. voce Hit (v. Breiger ap. Schw. Her. I p. 134) confirmat verbis: »Hit c'est le nom d'une ville d'Erac ou Iracque — elle est située sur un des bords de l'Euphrate, lequel en se courbant regarde le septentrion, éloignée de la ville de Cudesie huit parasanges, qui font seize lieues communes. Cette ville selon les géographes orientaux

a des choses remarquables: la première est une fontaine ou source de Naphthe, que les Persans appellent Tschechmekir, fontaine de poix. Ces auteurs disent, que ce fut avec cette Naphthe qu'on l'on bâtit les tours et les murailles de Babel. Ocoun-Hit, les fontaines de Hit d'où sortait cette Naphthe, sont célèbres parmi les Arabes et parmi les Persans (v. etiam mappam l'Euphrate et le Tigre par le Sr. D'Anville. Norimb. 1783 et Karte vom Bosporus bis zu den Gangesquellen. Berlin 1825 v. R. v. L.)

Gyndes. Γύνδης ποταμός. I. 189. V. 52.

Quod voluit Schoell ad interpr. suam Her. V. 55. esse Gyndem fluvium Diala hodiernum, nihil ad nostram rem pertinet et per se ambiguum videtur, etenim valde incertus nobis exstat Her., quod de hoc fluvio lectiones haud dubie sunt depravatae. Fontes habet in Matienis montibus I. 189, tum perfluit per Armeniam V. 52: ποταμοὶ δὲ τέσσαρες διὰ ταύτης (sc. Ἀρμενίης) ῥέουσι — ὁ δὲ τέταρτος τῶν ποταμῶν οὔνομα ἔχει Γύνδης τὸν Κῦρος διέλαβέ κοτε ἐς διώρυχας ἑξήκοντα καὶ τριηκοσίας et I. 198: per Dardanenses in alium fluvium Tigrin sese exonerans ῥέει δὲ διὰ Δαρδανέων, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς ἕτερον ποταμὸν Τίγριν.

De Dardanensibus autem Mesopotamiam incolentibus plane ignoramus, quare multi viri docti multas coniecturaverunt lectiones.

Reiske vult Δαραέων; Chytraeus vero et H. Stephanus et Cellarius Δαρνέων; Breiger Ἀρμενίων, quae ultima lectio adsentit loco V 52; sed quum nullus codex Breigerianae coniecturae faveat, mihi quidem probabilior esse videtur illa Darnensium Δαρνέων, quorum urbs Darna in

Ptol. geogr. VI. 1, in hoc locorum tractu nominatur, praesertim quum haec coniectura nixa sit codice Ask. v. Schweigh. Adnot. ad Her. I. 188. in Vol. VI.

Hic attingendus est nobis error Uckerti qui Gyndem fluvium nimis septentrionem versus in Tigrin influentem delineavit, quod falsum esse ex l. c. I. 189. liquet, ubi Her. Cyrum adversus Babylonem profectum ad Gyndem amnem pervenisse narrat.

Choaspes fluvius. Χωάσπης ποταμός.

Choaspem his tetigit noster I. 188. V. 52 »ex eo regem solo bibere atque fluvium in Cissia regione ad Susa fluere« (καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χωάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μόνου πίνει Βασιλεύς.) v. de cursu. Larcher. ind. geogr. Her. VII.

Araxes. Ἀράξης ποταμός. v. I. 9. 10. 11. 201. 203. 205. 204. II. 11. 102. IV. 11. 40.

Araxis nomine mihi quidem videtur Her. multos magnorum fluviorum septentrionalis Asiae auditu tantum sibi cognitos permiscuisse sive complexus esse; nam veteribus scriptoribus non unum tantum fluvium Araxen nominatum notum fuisse, sed minimum sex occurrere qui errore scriptoris cuiusque hoc nomen prae se ferant, constat; tum vero omnes explicationes, quae ad Wolgam aut ad Oxum fluvium spectant, ita a re alienae sunt ut nullo modo possint probari; ut adsentias meae sententiae, v. Breigerum ap. Schwgh. Her., qui diserte acuteque contradicens iis qui de Wolga fluvio censuerunt, attamen Oxum esse ab Herodoto innutum contendit, et ut haec sententia salva sit, duas Herodotei

textus lectiones delere vult. Quare nihil nisi compilare velim loca Herod. ad hunc fluvium attinentia IV. 40. I. 202: »Fluit Araxes ex Matianis contra solem orientem. Erumpit autem ex quadraginta orificiis, quae omnia uno excepto in paludes et lacunas exeunt. Unus ille alveorum Araxis nullo obstante impedimento in Caspium mare influit; ex parte fines facit Asiae et Europae I. 201. 205. 209. 210. 211. IV. 40: in ripa orientali incolunt Massagetae; Araxes autem ab aliis maior, ab aliis minor esse perhibetur Istro; esse autem in illo, aiunt, insulas frequentes Lesbi fere magnitudine. In his habitare homines qui aestate radicibus vescantur« etc. Haec sunt ad tabulam pertinentia.

Aces. Ἄκης. Ἄκις. III. 117. (v. Heysch.)

Ἔστι δὲ πεδίον ἐν τῇ Ἀσίῃ περικεκληϊμένον οὔρεϊ παντόθεν, διασφάγες δὲ τοῦ οὔρεός εἰσι πέντε· τοῦτο τὸ πεδίον ἦν μέν κοτε Χορασμίων ἐν οὔροισι ἐὸν τῶν Χορασμίων τε αὐτέων καὶ Ὑρκανίων καὶ Πάρθων καὶ Σαραγγέων καὶ Θαμαναίων· ἐπεί τε δὲ Πέρσαι ἔχουσι τὸ κράτος, ἔστι τοῦ βασιλῆος. ἐκ δὴ ὦν τοῦ περικληΐοντος οὔρεος τούτου ῥέει ποταμὸς μέγας, οὔνομα δέ οἵ ἐστι Ἄκης· οὗτος πρότερον μὲν ἄρδεσκε διαλελαμμένος πανταχοῦ τῶν εἰρημένων τούτων τὰς χώρας, διὰ διασφάγος ἀγόμενος ἑκάστης ἑκάστοισι. ἐπεί τε δὲ ὑπὸ τῷ Πέρσῃ εἰσὶ, πεπόνθασι τοιόνδε. τὰς διασφάγας τῶν οὐρέων ἐνδείμας ὁ βασιλεὺς πύλας ἐπ' ἑκάστῃ διασφάγι ἔστησε. ἀποκεκληϊμένου δὲ τοῦ ὕδατος τῆς ἐξόδου, τὸ πεδίον τὸ ἐντὸς τῶν οὐρέων πέλαγος γίνεται, ἐκδιδόντος μὲν τοῦ ποταμοῦ, ἔχοντος δὲ οὐδαμῇ ἐξήλυσιν.

Nihil amplius Herodotus de Ace fluvio tradidit, nec quisquam aliorum auctorum nominavit eum: elige quem

tibi animus cupiat, e fluviis Asiae. Mannert eum quaerit in Kaschmiriana terra et hodiernum esse vult Tschunab sive Tschinab; Sainte Croix, Barbier du Bocage, Gatterer, Heeren, Breiger volunt Ochum.

Indus. Ἰνδὸς ποταμός. IV. 44.

Indus, unus post Nilum omnium fluviorum qui crocodilos alat, in Pactyica regione, ubi urbs Caspatyrus sita est, natus orientem versus in mare influit. Haec sunt omnia ad tabulam necessaria quae ab Herodoto tradita sunt.

De Corye fluvio v. infra Arabes.

IV.

EUROPA. Εὐρώπη.

Incipiamus ab occidente, progredientes paullatim ad orientem.

Populorum qui Europam incolunt extremus ab occidente sunt Cynesii sive Cynetae (Κυνήσιοι, Κύνηται) II. 33. IV. 49; habitant autem extra columnas Herculis. Si vera est opinio Clausenii qui Herodotum ex Hecataeo verba de Cynetibus repetiisse censet, hac ratione probabilis ea mihi videtur, quod Herodotus apud hunc populum non memorat res pretiosas, quum eas apud omnes alios qui extremas terrarum sedes tenent, addiderit.

Cynesiorum finitimi sunt Celti (Κελτοί), et ipsi extra Herculis columnas incolentes. Ex iis Ister fluvius apud Pyreoen oppidum initium sumit. (In Hecataei fragm. duae urbes inveniuntur, Ναρβών et Νύραξ.)

Tartessus (Ταρτησσός) item extra Herculis columnas ponenda est. Narrat enim Herodotus IV. 152, Samios ex insula sua profectos, subsolano vento esse

abreptos, et, non intermittente vi venti per Herculis columnas transvectos Tartessum pervenisse. Cf. Hecat. 4. Ἐλιβύργη πόλις Ταρτησσοῦ.

Erythia et Gadira insulae extra columnas IV. 8. (ἡ Ἐρύθεια νῆσος ἡ πρὸς Γηδείροισι τοῖσι ἔξω Ἡρακλήων στηλέων). Graeci narrant Geryonem extra Pontum habitasse insulam illam quam Erythiam Graeci vocant prope Gades extra Herculis columnas in Oceano, v. Hecat. Claus. 349.

Cassiterides autem et Eridanum fluvium negat Herodotus, atque etiam de extremis Europae terris se ignorantem profitetur III. 115: »De extremis Europae occidentalis, quod pro accurate comperto dicam non habeo. Neque enim adsentior Eridanum aliquem fluvium nominari a barbaris, qui in mare boreale influat, a quo ad nos electrum venire dicitur, neque insulae mihi cognitae sunt Cassiterides: nam et Eridani ipsum nomen se prodit Graecum esse, neutiquam barbarum, videlicet a poeta aliquo fictum, neque ab quoquam qui ipse suis oculis vidisset, quamvis studiose id egerim, comperire potui mare ultra Europam esse. Ab extrema autem Europa et stannum nobis venit et electrum.« Ex his apparet nec fluvium Eridanum neque Cassiterides insulas in tabula esse delineandas, quod Uckertus fecit; ne Mannertum quidem errorem effugisse liquet, quum dicat in Geog. der Gr. und R. p. 38. »und geographisch weiss Herodot dass wirklich Cassiteriden existiren.«

Iberiam (ἡ Ἰβηρίη) memorat noster I. 163. al. l., nec vero usquam descripsit, v. igitur Hecat. fragm. 11 — 18.

Ligyes (Λίγυες) (Ligures) V. 9. nominantur. Massaliam vero (Μασσαλίη) num Herodotus nominaverit

plane incertum manebit quum lectio sit incerta. Nimirum verba V. 9 σιγύννας δ'ὦν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες τοὺς καπήλους, Κύπριοι δὲ τὰ δόρατα inepti cuiuspiam commentatoris doctrinam redolere mihi quidem pro virili parte videntur: nam quum aliis locis, quamvis idonea occasio esset Massaliae commemorandae, non commemoravit eam, tum vero in enumerandis Phocaeensium navigationibus et terris ab eis inventis I 163 cur non Massiliae originem adiecerit admodum est mirum: quare delere totam illam lectionem Massiliamque prorsus eiicere velim: v. Hecat. ed. Clausen de Ligyibus fr. 20. 23. 24, de Massilia fr. 22 et Thuc. VI 2.

Helisyci (Ἑλίσυκοι) Herodoto memorantur VII 165. v. Hecat. fragm. 20; de quibus Avienus Hecataeum, ut Clausenio videtur, haud dubie secutus: »gens Elisycorum prius loca haec tenebat atque Narbo civitas erat ferocis maximum regni caput. His salsum in aequor amnis Attagus ruit.« Hecataeus eos populum Ligyum ἔθνος Λιγύων) dicit, quare Niebuhr eos falso posuit in Italia.

Italia Herodoti. ἡ Ἰταλίη.

Saepius memoratur apud nostrum Italia, etsi huius terrae secundum partes suas descriptionem nullo modo praebet: quare nihil nisi quae Herodotus propria et diversa a posterioribus auctoribus habet, quoniam hoc tantum etiam in ceteris regionibus populisque describendis consilium est nobis, afferre possumus.

Nomen Italiae omnibus in Herodoti locis significat australem et eam quidem partem quae a Graecis habitatur. Gravis argumenti sunt huius rei VIII 62, ubi

oracula Graecis Italiam h. e. australem Italiae partem donant; et VI 127, ubi Smindyrides Sybarita Graecis adnumeratur: etenim Herodotus, postquam c. 126 narravit Clisthenem per praeconem iussisse nunciari, quisquis Graecorum, dignum sese iudicaret qui gener fieret Clisthenis, is Sicyone adesset, pergit c. 127 »ex Italia advenit Smindyrides« conf. IV 15. III 136. 138. v. de nomine Italiae disquisitionem Bredowii apud Schweigh. Her. I p. 68.

Partes Italiae.

Tyrsenia ἡ Τυρσηνίη I 163. Bredow apud Schweigh. Her. I p. 69 argumentis non firmat opinionem suam Italiam Tyrseniae esse partem: ex omnibus locis quibus Herodotus de Tyrrhenis disseruit, plane non apparet Tyrseniae pars Italia; sed I 94. 166. VI 22 mihi videtur Herodotus Tyrrhenos atque Tuscos, Tyrseniam ac Tusciam unum idemque habere, quoniam oram tunc a Tuscis iam occupatam, et borealem et occidentalem, nominat Tyrseniam: „ἐπὶ τούτου τὴν ἐπωνυμίην ποιευμένους ὀνομασθῆναι Τυρσηνούς. — Τυρσηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι. — ἡ δὲ καλὴ Ἀκτὴ αὕτη καλεομένη ἐστὶ μὲν Σικελῶν, πρὸς δὲ Τυρσηνίην τετραμμένη τῆς Σικελίης„ v. Hecat. 25.

Iapygia. Messapia. Oenotria. Lucania. Has terras Herodotus, quum in ipsa Italia Thuriis aliquamdiu vixerit, omnes sine dubio certe optimeque compertas habuit, etsi amplam plenamque narrationem de iis non reliquit. Cur vero plane omisit noster descriptionem terrarum eo iam tempore tam florentium? Equidem quartum historiae librum in Italia Thuriis scripsisse eum vel certe emendasse existimo, quoniam in

hoc ipso libro Atticae situm ignorantes Japygiae notitiam habere confidit IV 99: eaque ex causa terrarum propinquarum descriptionem incolis minime remotis non composuisse videtur. Cetera de his regionibus praecipua loca haec sunt III 138. VII 170. I 167 „ἀναχθέντες δὲ ἐκ τῆς Κρότωνος οἱ Πέρσαι ἐκπίπτουσι τῇσι νηυσὶ ἐς Ἰηπυγίην. — ὡς κατὰ Ἰηπυγίην γενέσθαι πλώοντας (Κρῆτας) . . . . ἐνθαῦτα Ὑρίην πόλιν κτίσαντας καταμεῖναί τε καὶ μεταβαλόντας ἀντὶ μὲν Κρητῶν γενέσθαι Ἰήπυγας Μεσσαπίους. — οἱ δὲ αὐτῶν ἐς τὸ Ῥήγιον καταφυγόντες, ἐνθεῦτεν ὁρμεώμενοι ἐκτήσαντο πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίης ταύτην, ἥτις νῦν Τέλη καλέεται." Croton, Sybaris, Rhegium, Taras, Hyria al. urbes aliis locis nominantur. De Iapygia v. etiam Hecat. 26. 54. 55. 56.

Umbria. Ὀμβρικοί. In Umbria vel in parte huius regionis habitare Tyrrhenos Herodotus credidisse videtur: narrat enim de Lydorum emigratione I 94, Lydos multas gentes praetervectos in Umbriam pervenisse, ibi oppida condidisse atque ad suum usque diem habitare; mutato vero Lydorum nomine, a regis filio, qui coloniam deduxisset, Tyrrhenos se ipsos vocasse. Populum autem ex opinione nostri satis magnum fuisse Umbricos apparet ex l. IV 49, ubi duos fluvios oriri in eorum terra dicit: „ἐκ δὲ τῆς κατύπερθε χώρης Ὀμβρικῶν Κάρπις ποταμὸς καὶ ἄλλος Ἄλπις ποταμός πρὸς βορῆν ἄνεμον καὶ οὗτοι ῥέοντες ἐκδιδοῦσι ἐς αὐτόν." Alpim autem occiduum esse horum amborum, inde liquet quod ceteri fluvii ab oriente ad occidentem enumerantur. Uckertus igitur falso hos posuit. Cf. etiam Hecat. fr. 30—39.

Insulae.

Cyrnos (Κύρνος) commemoratur I 165. 166. cum

urbe Phocaeensium Alalia (Ἀλαλίη), v. Hecat. 26; Sardo (Σαρδώ) I 170. 166. VII 165 et Sardonium mare (τὸ Σαρδόνιον πέλαγος), v. Hecat. 3. 317. Sicilia, olim Sicania nominata (VII 170 Σικανίη ἡ νῦν Σικελίη καλευμένη) multis locis a nostro commemoratur, nec tamen porrectionis, situs et soli ratio describitur. VII 153—167 complures urbes inveniuntur: Syracusae 156 al. l., Gela 153, Mactorium 154, Callipolis, Naxos, Zancle, Leontini, Camarina 155, Hybla, Casmenae, Megara Sicilica, Euboea Sicilica, Egesta 158, V 42, Eryx, Heraclea, Minoa Sicilica 46, Selinus VII 165, Himera, Acragas, Camicus VII 170, Cale Acte VI 22; unde Sicilia ei notissima apparet: v Hecat. 43—50.

Eneti (Ἐνετοί) ad Adriam habitant, V 9, et sunt natio Illyrica I 196.

Sigynnae (Σιγύνναι). Hic solus populus trans Istrum incolit, pertinet autem usque ad Enetos apud Adriam incolentes. Post Sigynnas autem terra deserta et sub septentrione regiones propter frigus inhabitabiles V 9. 10.

Haec sunt omnia quae Herodotus comperta habebat de occiduis et borealibus Europae partibus.

Illyrii saepius nominantur et Triballorum campus (v. supra et I 196), nec fines vero designantur.

Graecia, quae sita est media in terra, Macedonia et Thessalia, quas noster sine dubio optime cognovit et ex parte descripsit (ex. gr. Thessaliam olim lacum fuisse prompsit) hoc loco, quod tabula nostra minus spatium relinquit, et Herodotus ipse has terras no-
s praesumpsit, describi non possunt.

Thraces. Thracia. ἡ Θρηΐκη γῆ. Θρήϊκες.

Thraces sunt omnium gentium maxima ex opin. Herodoti, nam earum quoque regionum quae postea Moesiam et Cisdanubianam Daciam complectuntur, partem inhabitant: terminantur enim Scythis, Ponto Euxino, Propontide, Macedonia, Illyride, Sigynnis et Istro flumine, IV 99: Τῆς δὲ Σκυθικῆς γῆς ἡ Θρηΐκη τὸ ἐς θάλασσαν πρόκειται. κόλπου δὲ ἀγομένου τῆς γῆς ταύτης ἡ Σκυθική τε ἐκδέκεται, καὶ ὁ Ἴστρος ἐκδιδοῖ ἐς αὐτὴν πρὸς εὖρον ἄνεμον τετραμμένος τὸ στόμα. coll. IV 80.

Fluvii plures quidem memorantur, nec vero accuratius describuntur. Sunt autem, praeter eos qui in Istrum influunt et supra iam recensiti sunt, hi: **Tearus** (Τεαρὸς ποταμός) IV 89. 90. ab accolis fluviorum optimus existimatus, qui ad sanandos morbos aptissimam aquam praebeat: iter ad eius fontes aequale est ex Heraeo oppido, quod ad Perinthum est, et ex Apollonia, quae est ad Pontum Euxinum, utrimque bidui iter: influit in **Contadesdum** (Κορτάδεσδος ποταμός); hic vero in Agrianem; **Agrianes** (Ἀγριάνης) in Hebrum; **Hebrus** vero (Ἕβρος) in mare se exonerat prope Aenum oppidum. **Angites** (Ἀγγίτης ποταμός) influit in **Strymonem** (Στρυμών), inter quos sita est regio Phyllis VII 112. 113. **Axius** fluvius (Ἀξιός) commemoratur l. c. et VII 124. De **Artisco** autem et aliis minoribus v. infra.

Singulae autem **nationes regionesque** Thraciae ab Herodoto nominatae hae sunt:

Crobyzi (Κρόβυζοι) ex oriente Triballorum, IV 49. v. Mannert in Geogr. der Gr. und R. egregie disserentem de hoc populo; **Scyrmiadae** (Σκυρμιάδαι) et **Nipsaei** (Νιψαῖοι) super Apolloniam et Mesambriam:

Getae (οἱ Γέται), qui septentrionem versus Thracia habitant IV 92. 93; Odrysae apud Artiscum fluviun in centro Thraciae incolunt (Ἀρτισκὸς ποταμὸς ὃς δι Ὀδρυσέων ῥέει).

Hae sunt nationes septentrionales, tum auten tetigit noster eas praecipue quae oram maritiman tenent.

Crestonaei et Placiani (Κρηστωνιῆται· Πλα κιηνοί) supra Tyrrhenos Crestonem oppidum incolentes soli ex Pelasgis Herodoti tempore supererant Crestonaei e Placiani, qui Placiam et Scylacen in Hellesponto condi derunt, I 57 (v. O. Müller Orchom. et Niebuhr röm Gesch.); a Crestonaeis initium sumit fluvius Echerodu (Ἐχείρωδος) per Mygdoniam fluens.

In hac terra Mygdonia (Μυγδωνίη χώρη) situm era Therma oppidum (ἡ Θέρμη); inde castra Xerxis usque ad Lydiam fluvium et Haliacmonem, qui Bottiaeam a Macedonia disterminant, patebant, VII 124. 127, fluvi autem ipsi in eundem alveum aquas suas confundunt.

Paeones. Παίονες. Paeonia. ἡ Παιονίη. V 12 13. 15. 16. VII 113. Paeones ipsi apud Her. V 18 narrant, Paeoniam regionem ad Strymonem fluvium sitam Strymonem vero haud procul ab Hellesponto, esse autem Paeones Teucrorum ex Troia colonos. Quae omnis Herodotus notissima posuit. Sed adhuc nobis addendae sunt stirpes Paeonum V 15. VII 113. V 16: Siropaeones (Σιροπαίονες), Paeoplae (Παίοπλαι), Doberes (Δόβηρες) et ii qui usque ad lacum Prasiadem habitant; hi omnes a septentrione Pangaei incolunt. Tum sequuntur e meridie gens et regio circa Pangaeum montem, quae Phyllis nominatur (Φυλλίς) VII 113: ea occidentem ver-

sus ad fluvium Angiten, qui Strymonem influit, meridiem versus ad ipsum Strymonem pertinet.

Agrianes (Ἀγριᾶνες) apud fluvium illum qui in Hebrum influit IV 90. V 16. v. supra.

Regio ad mare porrecta Aegaeum describitur ab Herodoto l. VII 108—115, ubi urbes populique Thraciae nominantur hi, et in ora ipsa incolentes et paulo altius mediam oram habitantes: **Acanthus** urbs (Ἄκανθος) **Stagirum** urbs (Στάγειρον πόλις); **Sylëus campus** in Chalcidice (Συλέος πεδίον) c. 115; **Posideïum** promontorium (Ποσιδήϊον), in quo templum Neptuni et sinus Posideïus; **Bisaltae** et **Crestonica** terra sub uno rege (ὁ τῶν Βισαλτέων βασιλεὺς γῆς τε τῆς Κρηστωνικῆς): **Bisaltia** regio (Βισαλτίη) cum urbe Graeca **Argilo** (Ἄργιλος) sita est ex occidua parte Angitis fluvii et ex oriente Mygdoniae et Crestonicae, c. 115; **Ennea Hodi** (Ἐννέα Ὁδοί) et **Edoni**, qui hanc urbem habitant (Ἠδωνοί) V 11. VII 113. V 126. VII 124. 11. 23. IX 75. VII 110; **Odomanti** (Ὀδόμαντοι) c. 112. e septentrione Edonorum V 6. et **Pieres** (Πίερες) cum castellis Phagre et Pergamo VII 112. 131. 177. (Φάγρης et Πέργαμος τείχεα) et **Satrae** (Σάτραι), hi tres ultimi praecipue habent metalla Pangaei. Satras nullius unquam hominis imperio fuisse subiectos tradidit Herodotus c. 111: incolunt enim praealtos montes nemoribus omnis generis et nive obtectos suntque belli imprimis strenui. Apud eos est **Bacchi oraculum** (τοῦ Διονύσου τὸ μαντήϊον) in altissimis situm montibus: **Bessi** autem (Βησσοί) apud Satras in hoc templo oracula interpretantur. Horum finitumi sunt **Dersaei** (Δερσαῖοι), **Sapaei** (Σαπαῖοι) ad ostium Nesti VII 110, **Bistones** (Βίστονες), **Cicones**

(Κίκονες), qui etiam Galaicam et Brianticam tenent, v. infra, Paeti (Παῖτοι) ad Hebrum fluvium. De his omnibus v. Mannert Geogr. der Gr. und R. VII p. 1—44. Porro nominantur Pistyrus urbs (Πίστυρος) VII 109, ad quam lacus est triginta fere stadiorum in circuitu, piscosus et salsus admodum; Abdera urbs (Ἄβδηρα) VII 109. IV 143 seq. VI 43 seq., ibi Nestus fluvius in mare influit; Dicaea urbs (Δικαία) VII 109, apud quam Bistonis lacus (Βιστονὶς λίμνη); Stryme et Maronea urbes (Μαρωνείη, Στρύμη), inter quas situs est lacus Ismaris (Ἰσμαρὶς λίμνη), Stryme vero Thasiorum est, c. 108; Mesambria urbs (Μεσαμβρίη), inter hanc et Strymen medius interfluit Lissus amnis (Λισσὸς ποταμὸς) c. 108, est autem Mesambria extremum ab occidente Samothracicorum castellorum. Tota autem illa regio circa Strymen nominabatur Briantice (Βριαντική), ante Her. temp. autem Gallaica (Γαλαϊκή), erat autem et ipsa Ciconum. Doriscus (Δορίσκος) VII 59. 108. al. ora est Thraciae et ampla planities quam Hebrus perfluit. In eadem planitie castellum extructum est regium, quod et ipsum Doriscus nominatur, in litore sunt urbes Sale Samothracica et Zona; extremum vero est Serrheum, celebre promontorium, regio autem olim fuerat Ciconum: v. supra.

De Doloncis (Δόλογκοι) v. VI 34. 35. 46; de Apsinthiis (Ἀψίνθιοι) VI 34. 36; de Lampsacenis (Λαμψακηνοί) VI 37. Omnino de Chersoneso et proximis locis (ἡ Χερσόνησός τε, ἐν τῇ πόλεις συχναὶ ἔνεισι, καὶ Πέρινθος, καὶ τὰ τείχεα τὰ ἐπὶ Θρηΐκης, καὶ Σηλυμβρίη τε καὶ Βυζάντιον — Βυζάντιοι Χαλκηδόνιοι — Προκόννησος καὶ Ἀρ-

τάκης — Κύζικος, Κυζικηνοί — Καρδίη πόλις) v. VI 33. VII 58. VI 36—38.

De Thracibus Brygis (Βρύγοι Θρήικες) v. VI 45. VII 185. VIII 138. Ii habitasse dicuntur apud Hortos Midae circa Bermium montem; finitumi sunt Macedonibus et ab his primi subiecti.

De Crobyzis Thracibus (Κρόβυζοι) iam supra in fluviorum recensione nominatis v. Hecat. fr. l. c.

De tota Her. Thracia comp. Hecat. fragm. 115—135. et 141—150.

Scythia et finitumae terrae.

ἡ Σκυθικὴ γῆ. οἱ Σκύθαι.

Scythia sive regio quam Scythae Her. aetate incolebant, terminatur Tanaide fluvio, Maeotide palude, Ponto Euxino, Istro, Agathyrsis, Neuris, Androphagis, Melanchlaenis, IV 99. 16. 100. 101. 21. Scythia igitur, formam fere quadratam habens, a duabus partibus ad mare pertinens, utraque versum sibi aequalis est, tum qua in mediterranea loca porrigitur, tum secundum mare. Etenim ab Istro ad Borysthenem iter est 10 dierum, itemque 10 dierum a Borysthene ad Maeotin paludem, a mari vero in mediterranea ad Melanchlaenos, qui supra Scythas incolunt, iter est 20 dierum. Iter autem diurnum Herodoto aequat ducena stadia. Quare Scythica terra in transversum patebat quattuor milia stadiorum, totidemque stadia in rectum mediterranea versus. Itaque Scythia Herodoti et in longitudinem et in latitudinem centena miliaria Germanica patebat.

Partes huius terrae, exceptis Graecis coloniis, a duobus populis sunt habitatae: IV 99: »Protinus ab Istro

est vetus Scythia, meridiem versus sita usque ad oppidum cui Carcinitis nomen, (Καρκινῖτις, in Hylaeae extrema parte sita. v. Hecat. fr. 153 et Her. IV 55. apud Hypacyris ostium); tum contiguam hinc regionem, ad idem mare pertinentem, quae montana est et in Pontum prominens, incolit Taurica gens usque ad Chersonesum asperam quae vocatur (μέχρι Χερσονήσου τῆς τρηχέης καλεομένης); haec vero ad illud mare pertinet quod est orientem versus, v. etiam de Regione Cimmeria, Cimmeriis castellis, Cimmerio portorio IV 12: καὶ νῦν ἔστι μὲν ἐν τῇ Σκυθικῇ Κιμμέρια τείχεα, ἔστι δὲ Πορθμήϊα Κιμμέρια, ἔστι δὲ καὶ χώρη οὔνομα Κιμμερίη, ἔστι δὲ καὶ Βόσπορος Κιμμέριος καλεόμενος. Quae vero sunt super Tauros et ad mare quod ad orientem est pertinent, ab occidente Bospori Cimmerii et Maeotidis paludis usque ad Tanaim fluvium, ea rursus Scythae incolunt.

Variae Scytharum nationes.

Ab Hecataeo Milesio nominantur quattuor Scythici populi et unum oppidum quorum Herodotus mentionem non fecit: Myrgetae, Matyzetae, Isepi, Edi et Candesus urbs (Καρδησὸς πόλις Σκυθίας). Herodotum regiones gentesque Scythicas non omnes vidisse constat e l. IV c. 16, ubi allatis Issedonum narrationibus dicit: „ἀλλ' ὅσον μὲν ἡμεῖς ἀτρεκέως ἐπὶ μακρότατον οἷοί τ' ἐγενόμεθα ἀκοῇ ἐξικέσθαι, πᾶν εἰρήσεται: multa quidem igitur auditu tantum ei cognita sunt.

a) Nationes iuxta Hypanin fluvium ab occidente Borysthenis IV 17.

In media fere ora maritima Scythiae situm est emporium Borysthenitarum Olbiopolis (Ὀλβιόπολις); ab hoc septentrionem versus habitant Callipidae (Καλλιπίδαι) Graeci Scythae; super hos alius populus qui vocatur Alazones (Ἀλαζῶνες); super Alazones Scythae aratores (Σκύθαι ἀροτῆρες); super hos Neuri (Νευροί), qui non sunt Scythae, sed Scythicis tantum institutis utuntur; a Neuris vero septentrionem versus est deserta terra (ἐρῆμος ἀνθρώπων ὅσον ἡμεῖς ἴδμεν).

b) Trans Borysthenem fluvium. IV 18.

Prima a mari regio Hylaea est (ἡ Ὑλαίη). Supra hanc proximi habitant Scythae agricolae (Σκύθαι γεωργοί), quos Graeci Hypanin fluvium accolentes Borysthenitas nominant; hi Scythae ad orientem Borysthenis porriguntur ad trium iter dierum, pertinentque usque ad fluvium cui nomen Panticapes, septentrionem versus autem undecim dierum est iter adverso flumine navigantibus. Iam supra hos est longe lateque deserta regio. Post desertum vero Androphagi habitant, proprius populus, neutiquam Scythicus; supra hos vero iam terra vere deserta (ἐρῆμος ἤδη ἀληθέως) nec ullus hominum populus.

c) Trans Panticapen fluvium IV 19.

Ab oriente agricolarum Scytharum Nomades Scythae (Νομάδες Σκύθαι) degunt, estque arboribus nuda universa haec regio, excepta Hylaea. Nomades

autem hi orientem versus terram tenent per 14 dierum iter patentem ad Gerrhum usque fluvium.

d) Trans Gerrhum IV 20. 3.

Regii Scythae. Regia Scythia. τὰ καλεύμενα Βασιλήϊα καὶ Σκύθαι οἱ ἄριστοί τε καὶ πλεῖστοι. Pertinent hi meridiem versus ad Tauricam, orientem versus ad fossam quam caecorum filii a Tauricis montibus usque ad Maeotin paludem duxerunt, et ad emporium Maeotidis quod Cremni (Κρημνοί) vocatur; partim etiam ad Tanain flumen pertinent. Ceterum Regios Scythas eosdem esse atque liberos Scythas constat ex IV c. 110. Quae supra regios Scythas ad septentrionem vergunt, ea Melanchlaeni tenent, diversae stirpis populus, non Scythicus. Super eos vero Paludes sunt et terrae ab hominibus vacuae (λίμναι καὶ ἔρημος ἀνθρώπων).

Consanguinei et finitumi populi Scythiae.

Ex occidente orientem versus primi sunt: Agathyrsi (Ἀγάθυρσοι) IV 104. 49. Ex his influit Maris fluvius in Istrum, et videntur esse Thracibus consanguinei, quod institutis ad Thraces accedunt. Sequuntur Neuri (Νευροί) IV 105. 51. qui Scythicis utuntur institutis: Tyras fluvius apud eos incipit ex magna lacu, qui in confinibus est Neuridis et Scythicae terrae; Androphagi (Ἀνδροφάγοι) IV 106. nomades sunt: vestem portant Scythicae similem, lingua vero utuntur propria, soli autem ex illis populis humana carne vescuntur; Melanchlaeni (Μελάγχλαινοι) IV 107. vestimenta nigra gestant, a quibus nomen eis impositum, institutis autem utuntur Scythicis: Hecat. fr. 154. v. IV 20. 21. 101.

Budini (Βουδῖνοι) IV 108 magnus populus et numerosus, glauci admodum et rubicundi. »Urbem hi in sua ditione conditam habent ligneam: **Gelonus** (Γελωνός) oppido nomen est: cuius muri latus quodque 30 stadia in longitudinem patet; altus vero murus totusque ligneus; aedes item et templa lignea sunt. Sunt enim ibi Graecorum deorum templa, Graeco more instructa imaginibus et aris et delubris ligneis. Iidem Baccho triennalia festa agunt et Bacchanalia celebrant. Sunt enim Geloni (Γελωνοί) origine Graeci: qui ex emporiis pulsi, in Budinos habitatum concesserunt: linguaque utuntur partim Scythica, partim vero Graeca, Budini vero IV 109. 121. nec eadem lingua atque Geloni utuntur, nec eadem utrisque vitae ratio est. Budini enim, indigena gens **nomades** sunt, solique hi ex omnibus istarum regionum incolis pediculos comedunt. Geloni vero terram colunt, panem comedunt, hortos habent; nihil istis nec forma similes nec colore. Veruntamen a Graecis Budini etiam Geloni nominantur, parum recte id quidem. Est autem universa illorum terra sylvis frequens, omni genere arborum refertis. In densissima sylva lacus est ingens et altus, et circumcirca palus arundine frequens.« **Budini vero super Sauromatas habitant trans Tanain fluvium.** Quae omnia ex Herodoto excerpta hoc loco posui, ut illa opinio Budinos esse in Polonia quaerendos ex ipsis verbis absurda appareat.

Meridionales partes trans Tanain fluvium incolunt **Sauromatae** Σαυρόμαται, Σαυρομάτις χώρη IV 21, qui ab intimo Maeotidis paludis recessu initium capientes, tenent septentrionem versus usque ad Budinos terram in **quindecim** dierum iter patentem, arboribus

omnibus, tam cultis quam agrestibus, nudam. Sauromatae sunt Scythicus populus et sermone utuntur Scythico IV 117, mixti, ut perhibentur, cum Amazonibus (IV 110—117) quae iis Scythis qui commigrassent trans Tanain fluvium, nupsissent. Budinos vero et Sauromatas alio nomine coniunctos Maeotas appellatos esse constat c. 123. l. IV.

Super Budinos septentrionem versus primo desertum est (ἐρῆμος) per septem dierum iter. Post desertum vero magis orientem versus Thyssagetae (Θυσσαγέται) habitant, numerosa et propria gens, venatione victitans IV 22, quorum ex terra quattuor exeunt magna flumina, quae postquam per Maeotas fluxere in Maeotin paludem sese exonerant IV 123: nomina horum fluminum sunt Lycus, Oarus, Tanais, Syrgis (s. Hyrgis IV 57). Thyssagetis contigui eodem in tractu habitant qui Iyrcae (Ἰύρκαι) vocantur. Supra hos rursus orientem spectantes habitant alii Scythae, qui ab regiis Scythis defecerunt, et haec in loca migrarunt: Σκύθαι ἀποστάντες, IV 22.

Ad horum usque Scytharum regionem univera quam descripsimus terra plana est et humilis, inde vero petrosa et aspera (λιθώδης καὶ τρηχέη χώρη). Peragrato autem huius asperae terrae longo tractu, radices altorum montium habitant Argippaei (Ἀργιππαῖοι), qui inde a nativitate calvi sunt homines: IV 23. etc. Ad hos usque cognita terra est; tunc praealti praeruptique montes quos nemo transcendit praecludunt iter. IV 25. Narrant autem Argippaei habitari illos montes ab hominibus capripedibus, tum ultra hos degere alios homines, qui per sex menses dormiant. Hoc ipse

Herodotus non credit, satis autem ei cognitum est, regionem Argippaeis ab oriente sitam habitare Issedones (Ἰσσηδόνες) IV 25. Quae vero supra hanc ad septentrionem vergunt, cognita nullo modo sunt Herodoto, nec Argippaeis nec Issedonibus. Issedones autem rettulit noster tradidisse, supra sese ipsos habitare homines unoculos et gryphes auri custodes, et fabulam repetiisse Scythas et Graecos: Populum vero ab his Scythico nomine esse appellatum Arimaspos (ἄριμα γὰρ ἕν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν).

Hyperboreos autem Her. non quidem plane negat, nec tamen persuasum ei est de existentia huius populi, quod nunquam audiverit de Hypernotiis hominibus IV 36: εἰ δέ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ Ὑπερνότιοι ἄλλοι. Attamen mihi quidem non delineandi videntur, quod hoc ironice esse dictum apparet.

Trans Maeotin paludem e regione Tauricae ad Bosporum Cimmerium est Sindica. Sindi. Σινδοί IV 28 etc. v. supr. de Bosp. Cimm.

Praetermisimus adhuc populum trans Caspium mare incolentem, quem Herod. nominat et ex parte describit I 201. seq., Massagetas (Μασσαγέται). Populus hic et magnus dicitur esse et validus, habitans orientem versus trans Araxen fluvium ex adverso Issedonum c. 201 et tenet immensae planitiei a Caspio mari orientem versus sitae haud minimam partem, c. 204. Dicit etiam noster: Nonnullos, Scythicum hunc populum esse, narrare. De institutis et moribus Massagetarum v. I. 215. 216.

Caucasii populi. v. I 203. 204. Caucasus

mons (ὁ Καύκασος) populos multos et multiplicis generis in se comprehendit. Haec sunt quae ad nos spectantia noster rettulit. De institutis eorum v. l. c.

V.

ASIA HERODOTEA.

I. Septentrionalis ora.

Asia minor.

Patriam filius optimus Herodotus ita percognitam habuit, ut eius descriptio huius terrae cum quovis Graeco auctore comparari possit. Non autem possumus nostra tabula minus spatium spectanti omnia urbium nomina complecti, quare nihil nisi populos ipsos cum cit. loc. repetere volumus.

Aëolensium quinque urbes in Lesbo (Λέσβος) insula tetigit noster I 151, ubi Arisbam (Ἀρίσβα), olim sextum oppidum, a Methymnaeis in servitutem esse redactam adiecit. In Tenedo (Τένεδος) una Aeolensium civitas est, itemque in Centum Insulis (αἱ Ἑκατὸν νῆσοι) una. Aeolides civitates in continente sitae I 149 enumerantur Cyme, Larissae, Neotichus, Temnus, Cilla, Notium, Aegiroëssa, Pitane, Aegaeae, Myrina, Grynea (Κύμη ἡ Φρικωνὶς καλεομένη, Λήρισσαι, Νέον τεῖχος, Τῆμνος, Κίλλα, Νότιον, Αἰγιρόεσσα, Πιτάνη, Αἰγαῖαι, Μύρινα, Γρύνεια); una eis adempta est ab Ionibus, Smyrna (Σμύρνη).

Ionum civitates sunt Miletus (Μίλητος), prima a meridie, Myus (Μυοῦς), Priene (Πριήνη): hae tres sitae sunt in Caria; Ephesus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenae, Phocaea (Ἔφεσος, Κολοφών,

Κλαζομεναὶ, Φώκαια) in Lydia; supersunt tres Ionicae, quarum duae insulas incolunt, Samum et Chium (Σάμος. Χίος), tertia in continente sita est, Erythrae (Ἐρυθραί) I 142; Panionium autem est sacer locus Mycalae (Μυκάλη), quae est promontorium continentis occidentem versus contra Samum porrectum I 148.

Doriensium civitates (Pentapolis, olim Hexapolis) I 144. 174. sunt in Rhodo insula Lindus, Ialyssus, Camirus (Λίνδος, Ἰήλυσσος, Κάμειρος); deinde Cos (Κῶς) et in Caria Cnidus (Κνίδος): sexta civitas Halicarnassus (Ἁλικαρνησσός) a ceteris communione templi Triopici (Τριοπικὸν ἱρόν) apud Cnidum exclusa est.

De Hellesponticis v. IV 85 seq. V 1. 26. 117. VI 33. VII 33. seq. 96.

Ceteri Asiae minoris populi intra Halyn fluvium incolentes: Lydi (Λυδοί); Maeones (Μηΐονες) I 7—94. V 49. 101. III 90. V 52. VII 74; Mysi (Μυσοί) I 28. VII 42—44. 74 (οὗτοι δέ εἰσι Λυδῶν ἄποικοι, ἀπ' Οὐλύμπου δὲ οὔρεος καλέονται Οὐλυμπιηνοί) III 90; Magnetes (Μάγνητες) III 90; Thraces Asiatici, tum Thyni, tum Bithyni (Θρήϊκες οἱ Θυνοί τε καὶ Βιθυνοί) I 28. VII 75. (οὗτοι δὲ διαβάντες μὲν ἐς τὴν Ἀσίην ἐκλήθησαν Βιθυνοί· τὸ δὲ πρότερον ἐκαλέοντο, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, Στρυμόνιοι, οἰκέοντες ἐπὶ Στρυμόνι· ἐξαναστῆναι δέ φασι ἐξ ἠθέων ὑπὸ Τευκρῶν τε καὶ Μυσῶν) III 90; Chalybes (Χάλυβες) I 28; Mariandyni (Μαριανδυνοί) I 28. III 90. VII 72; Paphlagones (Παφλαγόνες) I 28. III 90. VII 72. I 72; Phryges (Briges) (Φρύγες) I 28. 72. II 2. III 90. V 52. 49. VI 45. VII 26. 29. 73. 185. VIII 138; Cares (Κᾶρες) I 28. 171. (Leleges III 90.); Caunii I 172 (οἱ δὲ Καύνιοι αὐτόχθονες, δοκέειν ἐμοί, εἰσί I 172 Pedasenses (Πηδασέες) mediterranea

loca supra Halicarnassum habitantes, I 175. 176; **Lycii** (Λύκιοι) (Milyae Milyadem incolentes, olim Solymi nominati, Termilae, Xanthii) III 90. I 173. 176. VII 92; **Pamphyli** (Πάμφυλοι) I 28, III 90. VII 92; **Cilices** (Κίλικες) I 28. III 90. V 52. 49. VII 77. 91; **Lasonii** (Λασόνιοι) III 90. v. VII 77. (Καβηλέες δὲ οἱ Μηΐονες Λασόνιοι δὲ καλεόμενοι); **Cabalii** (Καβάλιοι) III 90. v. Hec. fr. ed. Clausen ind. **Hygennenses** (Ὑγεννέες) III 90. gens incognita, v. Valkenaer ad l. III 90.

Populi trans Halyn in hac septentrionali ora incolentes.

Ligyes (Λίγυες) VII 72. gens incognita.

Cappadocae Syrii ex adverso Paphlagonibus v. antec.

Armenii (Ἀρμένιοι) V 52. I 180. terram quattuor fluviorum (v. antec.) incolunt supra Assyrios, hi igitur faciunt meridionales fines I 194; ab occidente sita est Cilicia, ubi limites facit Euphrates; e septentrione et oriente Matieni porriguntur V 52. Mansiones sunt in Armenia diversoriorum quindecim et parasangae quinquaginta sex cum dimidia, estque in his etiam custodiae statio; ex Armenia ubi in Matienen regionem transieris stationes sunt quattuor.

Matieni (Ματιηνοί) terminantur a Phrygibus in occidua parte apud Halyn fluvium, I 72, et ab Armeniis e parte meridionali V 49. V 52. In huius terrae montibus Gyndes et Araxes fluvii habent fontes I 189. 202. Matieni vero cum Saspiribus et Alarodiis praefecturam faciunt decimam octavam III 94. Stationes undecim,

parasangae vero quadraginta duae cum dimidia sunt usque ad Choaspem fluvium V 52.

Macrones et Syrii, qui circa Thermodontem et Parthenium fluvium habitant, finitumi sunt. II 104. et v. Hecat. ed. Clausen. fr. 191: Μάκρωνες οἱ νῦν Σαννοί. Strab. XII p. 825. Xenoph. Anab. IV 8. 1. V 5. 18. VII 8. 25. Arrhian. Peripl. Pont. Eux. p. 11 med.

Tibareni et Mossynoeci (Τιβαρηνοί. Μοσσύνοικοι). Sedes eorum non describuntur ab Herodoto, sed innuuntur in fr. Hecat. et Scylac. ed. Clausen. 86: Μετὰ δὲ Μοσσυνοὺς ἔθνος ἐστὶ Τιβαρηνοί, et Mossynoeci: Μετὰ δὲ Μακροκεφάλους (apud quos urbs Trapezus Graeca) Μοσσύνοικοι καὶ Ζεφύριος λιμὴν, Χωράδες πόλις Ἑλληνίς, Ἄρεως νῆσος. Οὗτοι ὄρη κατοικοῦσιν. Hec. 193. Χοίραδες πόλις Μοσσυνοίκων. Τιβάροισι δὲ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα Μοσσύνοικοι ὁμουρέουσιν, ἐν δ'αὐτοῖσι Χοίραδες πόλις. v. Xenoph. Anab. V 4. 2. 5. 1. VII 8. 23. Apollon. II 379. 1016. Pomp. Mel. I 20. Tibarenorum finitumi a parte australi sunt Leucosyri, ab occidentali Chalybes. Claus. Hecat. p. 100.

Moschi VII 78 Μόσχοι. Tibareni et Macrones et Mossynoeci militabant similiter atque Moschi armati. De sedibus v. Hecat. 188: Μόσχοι Κόλχων ἔθνος προσεχὲς τοῖς Ματιηνοῖς. Strab. XI p. 760. sqq.

Mares. Μάρες. Cum Colchis coniunguntur, VII 79. v. Hecat. 192: Μάρες, ἔθνος προσεχὲς τοῖς Μοσσυνοίκοις.

Omnes hi, qui a Macronibus usque enumeratae sunt, in praefectura Persarum (satrapia) decima nona fuerunt III 94.

II. Asiae Centrum.

Colchi (Κόλχοι) Colchis terra (Κολχίς) sita est ad Phasin fluvium in Asia (Uckert eam posuit in Europa) III 97. I 104. Est autem a Maeotide palude ad Phasin fluvium et Colchos expedito viatori iter triginta dierum; e Colchis vero non ita longo itinere pervenire potest in Mediam, sed unus duntaxat interiectus est populus Saspires, quos ubi transieris, continuo Mediam intras IV 37; supra Saspires igitur Colchi ad Pontum (boreale mare) pertinent. E septentrione alii sunt fines I 104, 203. 204, Caucasus mons a Caspio mari occidentem versus tendens, montium omnium et amplissimus et altissimus, et Phasis fluvius. v. Hecat. fr. 185. 188. De origine Colchorum v. II 104.

Saspires (Σάσπειρες) inter Mediam et Colchidem interiecti. I 104. IV 37. 40. III 94. VII 79. cum Alarodiis et Matienis unam praefecturam efficiebant.

Alarodii (Ἀλαρόδιοι) cum Saspiribus et Matienis coniuncti nominantur III 94. VII 79.

Medi (Μῆδοι). Media (ἡ Μηδικὴ χώρη) est valde montosa et silvosa in tractu ad Saspires tendente, reliqua vero plana est omnis I 110. E septentrione terminant eam Saspires, e meridie Persae, IV 37. etc. Gentes Medorum sunt sex: I 101, Busae, Paretaceni, Struchates, Arizanti, Budii, Magi (Βοῦσαι, Παρητακηνοὶ, Στρούχατες, Ἀριζαντοὶ, Βούδιοι, Μάγοι); caput vero est Ecbatana (Ἀγβάτανα) I 98: »Rex Deioces arcem extruxit amplam validamque, hanc quae nunc Ἀγβάτανα vocatur, ita ut alius moenium orbis alio esset circumdatus; et sic instituta erat haec arx, ut alius moenium or-

bis alio nonnisi propugnaculis esset excelsior. Orbes universi autem sunt septem, quorum in postremo regia est et thesauri. Qui autem murus maximum conficit orbem, is Athenarum ambitum amplitudine aequat. I 99. Tum vero reliqua arce extructa Deioces populum circumcirca arcem habitare iussit.« v. Hecat. 171. Medos autem antiquo tempore nominatos fuisse Arios Herodoto non fuit ignotum, v. VII 62. et egregiam notam ad h. l. ap. Schoell. interpr. Her.

Cissia terra (Κισσίη χώρη), finituma Medis vel potius in Media ipsa, terminatur ex occidua parte Matiena, habet autem fluvium Choaspen et Susa (Σοῦσα) urbem, quo usque ex Matiena 11 stationes, parasangae 42 cum dimidia sunt. V 52. **Cissii** (Κίσσιοι) militantes eodem cultu fere utebantur quo Persae et Medi VII 62.

Persae (Πέρσαι). Olim a Graecis Cephenes (Κηφῆνες) nominati sunt; a se ipsis vero et a finitumis Artaei (Ἀρταῖοι) VII 61. Persarum sedes ad australe mare pertinent, quod Erythraeum vocatur: supra eos septentrionem versus Medi. IV 37. Sunt autem Persarum plura genera: I 125. prima, e quibus alia omnia pendent, **Pasargadae, Maraphii, Maspii** (Πασαργάδαι, Μαράφιοι, Μάσπιοι); alii vero Persae hi sunt: **Panthialaei, Derusiaei, Germanii** (Πανθιαλαῖοι, Δηρουσιαῖοι, Γερμάνιοι) qui omnes aratores sunt; reliqui nomades: **Dai, Mardi, Dropici, Sagartii** (Δάοι, Μάρδοι, Δρόπικοι, Σαγάρτιοι). **Persis** autem nominatur sedes propria Persarum v. III 70; de imperio eorum III 97.

III. Asiae ultra centrum pars.

Hyrcanii (Ὑρκάνιοι) VII 62. III 117. Est in Asia

campus undique monte clausus, montis autem quinque sunt divortia. Hic campus olim Chorasmiorum erat, estque in confinibus ipsorum Chorasmiorum, Hyrcaniorum, Parthorum, Sarangarum, Thamanaeorum. — Ex monte campum claudente profluit ingens fluvius, cui nomen Aces. Apparent igitur Hyrcanii in oriente Caspii maris. v. et Chorasm. Parth. Sarang. et Thaman. et Hecat. fr. 172 de mari Hyrcano.

Bactriana gens (τὸ Βάκτριον ἔθνος). Bactria terra (ἡ γῆ ἡ Βακτρίη) I 153. III 92. A Bactrianis (Βάκτριοι) ad Aeglos usque duodecima praefectura; hi tamen Aegli qui fuerint ne coniectura quidem assequi licet; quare fines terminare non possumus v. Frömmichen comment. de difficilioribus Asiae ap. Her. Schweighäuser. I 176. In regione autem Bactriana fuisse Barcam (Βάρκη) vicum a Barcaeis captivis habitatum, addit Herodotus IV 204 et Bactrios militantes cultu capitis usos esse simili fere Medico. VII 62.

Sacae (Σάκαι) VII 64. Scythica gens in Asia; hos quum Scythae essent Amyrgii, Sacas vocabant Persae, qui omnes Scythas Sacas nominant. Cum Bactrianis habebant eundem belli ducem, et alias cum iis nominantur, I 153; sunt autem in decima quinta praefectura cum Caspiis III 93.

Caspii (Κάσπιοι) III 92. 93. VII 67. cum Pausicis, Pantimathis et Daritis in undecima praefectura nominantur, sed quaeritur ubi incolant. Eorum fit mentio III 92 post Paricanios et Orthocorybantios in satrapia decima, VII 86 cum Paricaniis, 68 cum Utiis et Mycis memorati et III 92. 93. VII 86. bis, ita ut plane ambiguum sit, utrum duo sint populi an lectiones sint corru-pr. E nomine quidem nobis verisimile fit sedes eorum

in australi quadam regione ad mare Caspium fuisse. De Caspiis portis v. Hecat. 170.

Pausicae (Παυσίκαι) vel, quod Frömmichen et Vossius ad Pomp. Melam. III 5 volunt, **Paesicae** (Παισίκαι), apud Ptolem. in tabula Sogdiana occurrunt, quare hi et **Daritae** (Δαρεῖται) (v. Schweigh. Her. I. p. 180. not.) et **Pantimathi**, (Παντίμαθοι), qui nullo alio loco memorantur, finitumi fuisse Caspiis a **meridie** videntur.

In sexta decima praefectura incolunt: **Arei** (Ἄρειοι) III 93. et consanguinei Medorum Bactriorumque videntur VII 66; deinde **Parthi**, **Chorasmii**, **Sogdi** (Πάρθοι, Χοράσμιοι, Σόγδοι) coniuncti nominantur VII 66; Parthi vero et Chorasmii etiam circa campum monte clausum illum e quo profluit Aces fl. incolunt. De Chorasmiis v. Hecat. 173: Χορασμίη πόλις πρὸς ἕω Πάρθων — Πάρθων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα Χοράσμιοι οἰκοῦσι.

Gandarii, **Dadicae**, **Sattagydae**, **Aparytae**. (Γανδάριοι, Δαδίκαι, Σατταγύδαι, Ἀπαρύται) III 91. VII 66. Quattuor hi faciunt **septimam** praefecturam; omnes autem eadem, qua Bactrii, utebantur armatura. (v. Hecat. Clausen fr. 178. Γάνδαρα Ἰνδῶν ἔθνος. ap. St. B. Ἑκ. Ἀσ. λέγονται καὶ Γανδάριοι παρ' αὐτῷ καὶ Γανδαρικὴ ἡ χώρα. — Γάνδροι ἔθνος Ἰνδῶν —— Ἑκ. δὲ Γανδάρας αὐτοὺς καλεῖ. v. etiam Ptol. VI 1; videntur Indicae nationes fuisse. Quae autem hanc opinionem magis confirmant, statim adduntur, etenim nominatur ab Hecataeo fr. 180. Κασπάπυρος (Κασπάτυρος ap. Her., v. Pactyicam) πόλις Γανδαρική, quam sitam apud terram Pactyicam dicit Herod. (nullo modo autem, quod quidem velit Clausen l. c. ad occidentalem Indi fluminis ripam.)

diversis linguis utentes; et eorum alii nomades sunt, alii non sunt; sunt etiam, qui in paludibus habitant fluminis, vescunturque crudis piscibus (III 98). Alii ex Indis, his ab oriente habitantes, nomades sunt, cruda carne vescentes, qui Padaei (Παδαῖοι) vocantur (III 99). Aliorum Indorum alius mos est huiusmodi: nec occidunt animatum quidquam nec sementem faciunt nec domos solent possidere: herbis vescuntur (III 100). Hi Indi longius a Persis habitant meridiem versus, neque unquam paruerunt Darii imperio (III 101). Alii vero Indi Caspatyro urbi et Pactyicae regioni sunt finitumi, a septentrione reliquorum Indorum habitantes, qui vitae ratione utuntur Bactrianis simili. Hi sunt Indorum bellicosissimi, iidemque qui ad conquirendum aurum proficiscuntur. Est enim ibi deserta regio propter sabulum (Indis orientem versus III 98), et in hoc nimirum deserto atque sabulo sunt formicae maiores vulpibus etc. c. 102. Calantiae Indi, plane ambiguum est ubi ponendi sint, quod Herod. eos tantum bis nominat, non autem sedes innuit III 38, 97; videntur forte collocandi in iis orientis regionibus, ubi Indi qui cruda carne vescuntur habitant, quoniam Her. morem eorum corpora parentum comedendi affert III 38. Hecataeus quoque memorat eos, v. fragm. 177. Καλατίαι ἔθνος Ἰνδικόν. Ceterum monendum videtur, in Herodoto duas nominis formas legi Ἰνδοὶ οἱ καλεόμενοι Καλατίαι et οἱ Καλαντίαι Ινδοί.

Orientales Aethiopes, Asiam incolentes, (Αἰθίοπες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης) bis nominantur ab Herod. III 94. cum Paricaniis in praefectura septima decima et VII 70 (comp. Homeri Αἰθίοπες οἱ διχθὰ δεδαίαται) ubi cum In-

dis in agmine collocati referuntur, et ab Aethiopibus Libyam incolentibus distinguuntur: »Orientales Aethiopes rectos habent capillos, Libyci vero crispos maxime omnium hominum. Asiatici hi Aethiopes pari modo fere atque Indi erant instructi, caput autem tectum habebant pelle equina de capite equi detracta etc.«

Insulani populi (Τὰ δὲ νησιωτικὰ ἔθνεα τὰ ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης) VII 80 Anaspasti (transportati) vocantur τοὺς ἀνασπάστους καλεομένους κατοικίζει βασιλεύς.

IV. Asiae ora meridionalis.

Altera ora (IV 39.) a Perside incipiens in Erythraeum mare porrigitur, estque Persica, tum hanc excipiens Assyriaca et post Assyriacam Arabica. Iam a Perside usque ad Phoenicen lata et ampla regio est; a Phoenice vero haec ora per mare mediterraneum secundum Syriam Palaestinam ad Aegyptum porrigitur, ubi desinit, hancque oram tres tantum incolunt populi: Assyrii, Syrii (Palaestini et Phonices) atque Arabes. VII 89. II 116.

Assyrii (Ἀσσύριοι) I 178. Hi a Graecis Syrii vocati, a barbaris vero Assyrii; in exercitu mixti cum eisdem erant Chaldaei (Χαλδαῖοι) VII 63. Assyria (Ἀσσυρίη) terminatur e septentrione Armenia I 194; tangit orientem versus Persas, in occidente incolunt Arabes et in meridie situm est Erythraeum mare IV 39. Sunt autem Assyriae quum aliae urbes insignes multae tum clarissima omnium et munitissima, quae post Ninum eversam regia sedes erat, Babylon; quae describitur I 178 sqq. III 155—159. »**Tota Babylonica terra** (Βαβυλὼν) fossis est discissa, quarum fossarum maxima

orienti hiberno obversa, navibus traiicitur, influit autem ex Euphrate in alium fluvium Tigrin, ad quem Ninus urbs (ἡ Νίνος) aedificata erat.« etc. (II 150 hi Assyrii, qui Ninum incolebant a ceteris seiunguntur. I 102. 106.) Fluvii Assyriorum sunt Euphrates, Gyndes, Tigris. v. antec. Est autem tota Assyria in praefectura nona Persarum quae est omnium amplissima III 92, I. 192.

Arabii, Arabica ora, Arabia. οἱ Ἀράβιοι, Ἀραβίη. III 5. 6. 8. 88. 97. 107 sqq. IV 39. VII 69. 87. Arabia terminatur e septentrione (I. 5) Palaestina, nam emporia a Cadyti ad mare sita usque ad Ienysum oppidum sunt ditionis Arabici regis, inde patet aditus in Aegyptum; ex hac regione porriguntur Arabii usque ad extremas terrarum partes australes III 107, ubi situm est mare Erythraeum; ex oriente vero fines faciunt Assyrii. IV 39. (De Ienyso urbe ignota v. Frömmichen ap. Schw. Her. I. 169: III 9.) Flumen Arabiorum commemoratur magnum cui nomen Corys (Κόρυς), in Erythraeum mare se exonerans. »Ab hoc fluvio Arabiorum regem consutis bubulis aliisque coriis canalem duxisse aiunt ea longitudine ut ad aridum tractum (ἐς τὴν ἄνυδρον) pertineret. Est autem via ab illo fluvio in hunc aridum tractum duodecim dierum.« Haec deserta aquarum prorsus inops terra mihi videtur Petraea Arabia esse, quam Her. III 4. 5. describit regionem aqua carentem et ex parte cognovit.

Syria Palaestina (Παλαιστίνη Συρίη, Συρίη ἡ Παλαιστίνη καλευμένη, Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, Συρίη) I 105. II 11. 12. 104. 106. 158. 159. III 6. 3. 91. IV 39. VII 89. v. etiam Frömmichen de diffic. quibusdam Asiae apud Schweigh. I p. 163. Gens Syriorum divisa in

plures partes saepius invenitur apud Her., quare omnes Syrii cognomina acceperunt et Assyrii a Syriis distinguuntur, e. g. Syrii qui circa Thermodontem et Parthenium fluvium habitant II 104. οἱ δὲ Καππαδόκαι ὑπ' Ἑλλήνων Σύριοι ὀνομάζονται I 72. **Syrii Palaestini** a Phoenice usque ad fines Cadytis urbis habitant, a Cadyti in emporiis ad mare sitis usque ad Ienysum oppidum sunt Arabii, ab Ienyso rursus Syriorum ditio pertinet ad Serbonidum usque lacum iuxta quem Casius mons ad mare porrigitur; a Serbonide lacu iam Aegyptus est. III 5. Hinc fines Palaestinae apparent: Palaestinos, interiectis Arabiis divisos, a Phoenice ad Aegyptum usque porrigi liquet. Hic simul de **Phoenicibus** dicendum: quippe hi cum Palaestinis memorantur in Syria et in Palaestina habitantes II 116. ὁμουρέει γὰρ ἡ Συρίη Αἰγύπτῳ· οἱ δὲ Φοίνικες, τῶν ἐστὶ ἡ Σιδών, ἐν τῇ Συρίῃ οἰκέουσι, et VII 87. οἱ Φοίνικες οἰκέουσι τὰ παρὰ θάλασσαν· τῆς δὲ Συρίης τοῦτο τὸ χωρίον καὶ τὸ μέχρι Αἰγύπτου πᾶν Παλαιστίνη καλέεται. Quibus ex locis Herodotum Syriae oram ad mare sitam nominasse Palaestinam, distinxisse tamen Palaestinam a Phoenicibus ubi accuratius loqui visum esset necessarium, liquet. Terminum Phoenices a septentrione memorat Herodotus III 91: ἀπὸ δὲ Ποσιδηΐου πόλιος ἐπ' οὔροισι τοῖσι Κιλίκων τε καὶ Σύρων ἀρξάμενον. — De **Cypro**, quae cum Phoenice et Palaestina in eadem praefectura est, v. II 182. III 19. 91. V 49. 52. 104. 116. VII 90. — **Urbes Palaestinae** ab Herodoto memoratae sunt **Azotus** (Ἄζωτος) magna urbs Syriae II 157; **Ascalon** (τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Ἀσκάλωνι) I 105; **Cadytis** (Κάδυτις), urbs haud multo minor Sardibus, cum Frömmicheno Gaza mihi esse vide-

tur: v. eum acute de hac re disputantem ap. Schw. I 167, et Hecat. Claus. 261. Κάνυτις πόλις Συρίων μεγάλη· τὸ ἐθνικὸν Καννυτίτης. Magdolus vero (Μάγδολος), num Herodoto Palaestinae an Aegypti urbs vicusve fuerit, non semper in dubio manebit, quod quidem contendit Frömmichen, etiamsi nullo alio loco legitur huius urbis nomen nisi II 159: nimirum Hecataeus, qui Aegyptum visu cognoverat, eam Aepypti urbem memorat. v. fr. 282. Μαγδωλὸς πόλις Αἰγύπτου· τὸ ἐθνικὸν Μαγδωλίτης διὰ τὸν Αἰγύπτιον τόπον. Κανωβίτης, Διολκίτης, Πενταοχοινίτης. v. 2 Mos. 14. 2. Iam venimus ad Casium illum montem, qui in confinibus situs est Syriae et Aegypti, III 158. IV 41; itaque pergamus ad tertiam terrae partem.

VI.

LIBYA.

V. Joh. Fr. Hennecke egregiam Comment. de geographia Africae Herodoteae ap. Schweigh. Her. I p. 195.

Quaenam extensio Libyae ex op. Her. sit, quosque fines habeat praecipue e duob. loc. II 17. et IV 41 — 43 liquet. »Limitem vero, qui Asiam a Libya disterminet, rectam si sequamur rationem, nullum alium novimus nisi Aegyptiorum fines« et »Libya in altera orarum est, Libya enim iam ex Aegypto excipitur.« Ad Aegyptum quidem angusta haec ora est: nam ab hoc mari ad mare Erythraeum sunt centum milia orgyarum, quae mille admodum stadia conficiunt. Inde ab his vero angustiis spatiosa fit haec ora, quae Libya vocatur.« Libya est circumflua v. IV 42: et pertinet ex occidua

parte usque ad promontorium cui nomen est Soloeis. (Σολόεις) II 37, IV 42, 41 sqq.

E quibus locis apparet Aegyptum non adnumerasse Herodotum Libyae; affirmatur autem verbis IV 197; ubi Libyae nonnisi quattuor populi nominantur, duo indigenae: Libyes ad septentrionem, Aethiopes ad austrum; duo autem advenae: Phoenices et Graeci. Quare (e locis plur. et cit.) Aegyptus ex op. Her. pars Asiae videtur; non tamen refellit Graecos auctores Aegyptum inter Asiam et Libyam dividentes. Quae quidem divisio mihi ab Hecataeo iam facta videtur, quamvis verba hanc promentia in fragmentis non sint conservata; etenim magni ea momenti sunt, quod Hecat. ap. St. B. Aegypti urbes et in Libyae et in Asiae descriptione recenset. v. fr. ed. Clausen 271, 72, 75 et 273, 74. St. B. Ὀνειαβάτης πόλις Αἰγύπτου. Ἑκ. περιηγήσει Λιβύης sqq. 273. St. B. Κρῶς πόλις Αἰγύπτου. Ἑκ. περιηγήσει Ἀσίης. sqq.

Aegyptus. Aegyptii. (ἡ Αἴγυπτος· οἱ Αἰγύπτιοι)

»Si ea ratione utamur quam Graeci sequuntur, statuemus Aegyptum universam, initium sumentem a Catadupis et Elephantine oppido, in duas secari partes, et utrumque nomen participare, alteram enim eius partem Africae esse, alteram Asiae. Nilus enim postquam ad Catadupa Aegyptum primum intravit, mediam illam dividens fluit in mare.« II 17.

Extensio finesque et montes. III 158. III 26. II 6. 8. 9. 10. 11. 15. 17. 12. 28. 18. 19. 165. 34. »Sita est Aegyptus ex adverso maxime montanae Cilicae« II 34. Longitudo secundum mare est sexaginta schoenorum (vel 3600 stadiorum) quatenus quidem

nos Aegyptum definimus ut a Plinthinete sinu pertineat usque ad Serbonidem lacum, ad quem Casius mons porrigitur« II 6. »Inde versus interiora usque Heliopolin in latitudinem patet Aegyptus: tota plana est, aquis irrigua, limosa; est autem iter a mari Heliopolin adscendenti mille quingentorum stadiorum II 7. »Ab Heliopoli superiora petenti angusta Aegyptus est: nam ab altera parte mons Arabiae (τῆς Ἀραβίης ὄρος) praetenditur, a septentrione versus meridiem et austrum excurrens, semper in altius tendens ad Erythraeum mare; quo in monte lapicidinae sunt, unde Memphin ducti sunt lapides ad extruendas pyramidas. Hoc loco desinens mons flectitur in mare. Qua vero est maxima eius longitudo, duorum mensium itineris esse accepi ab orienti versus occidentem. Haec igitur huius montis ratio est. Ab altera Aegypti parte, Libyam versus, alius mons praetenditur saxeus (τὸ Λιβυκὸν καλεόμενον ὄρος πέτρινον), in quo pyramides exstructae sunt, arena obvolutae, pari modo porrectus atque ea pars Arabici montis, quae ad meridiem tendit. Ab Heliopoli igitur non multum in latitudinem patet regio, quae Aegyptus esse censetur, sed ad quattuor dierum adverso flumine navigationem angusta Aegyptus est. Est autem regio inter duos quos dixi montes interjecta campestris, cuius latitudo, ubi minima, ducentorum admodum stadiorum esse, haud amplius, mihi visa est, ab Arabico monte ad Libycum; ex inde vero rursus fit latior Aegyptus. II 8. »Est vero Heliopoli Thebas naviganti iter novem dierum,' stadia sunt autem quater mille octingenta et sexaginta: haec stadia si inter se componantur, quum latiem secundum mare porrectam iam supra dixerim

esse trium milium sexcentorum stadiorum, quaenam sit longitudo a mari versus mediterranea Thebas usque, nunc declarabo: est nempe stadiorum sexies mille centum et viginti. Thebis autem usque Elephantinen sunt mille et octingenta stadia II 9. Sunt igitur a mari usque ad Elephantinen 7920 stadia quae totius Aegypti efficiunt longitudinem. Fines autem Aegypti sunt a septentrione mons Casius ad lacum Serbonidem tendens et mare Aegyptium usque ad Plinthinetem sinum; ex oriente montes Libyci, Libya ipsa (in cuius confinibus sitae sunt urbes Marea et Apis Aegypto adscriptae. II 18); a meridie Elephantine et ex parte Tachompso insula, II 29; ab occidente montes Arabici disterminant Aegyptum.

Partes et urbes Aegypti. Aegyptus pro soli natura flumine Nilo dividitur in Delta et eas partes quae Libyae et Asiae adiacent II 17. 15. 19. (εἰ δὲ τῇ ὑπ' Ἑλλήνων νενομισμένῃ χρησόμεθα, νομιοῦμεν Αἴγυπτον πᾶσαν ἀρξαμένην ἀπὸ Καταδούπων τε καὶ Ἐλεφαντίνης πόλιος δίχα διαιρέεσθαι καὶ ἀμφοτέρων τῶν ἐπωνυμιέων ἔχεσθαι· τὰ μὲν γὰρ αὐτῆς εἶναι τῆς Λιβύης, τὰ δὲ τῆς Ἀσίης. ὁ γὰρ δὴ Νεῖλος ἀρξάμενος ἐκ τῶν Καταδούπων ῥέει μέσην Αἴγυπτον σχίζων ἐς θάλασσαν c. 17). Distributio in νομοὺς commemoratur quidem saepius ab Her. II 164. 299; sed nominantur soli nomi Hermotybium et Calasirium (Καλασίριες καὶ Ἑρμοτύβιες) II 164 — 166. Hermotybium nomi sunt sex: Busirites, Saites, Chemmites, Papremites, insula Prosopitis, Natho ex dimidia parte (Βουσιρίτης, Σαΐτης, Χεμμίτης, Παπρημίτης, νῆσος ἡ Προσωπῖτις καλεομένη,Ναθὼ τὸ ἥμισυ); Calasirium duodecim: Thebaeus, Bubastites, Aphthites, Tanites, Mendesius, Se

diversis linguis utentes; et eorum alii nomades sunt, alii non sunt; sunt etiam, qui in paludibus habitant fluminis, vescunturque crudis piscibus (III 98). Alii ex Indis, his ab oriente habitantes, nomades sunt, cruda carne vescentes, qui Padaei (Παδαῖοι) vocantur (III 99). Aliorum Indorum alius mos est huiusmodi: nec occidunt animatum quidquam nec sementem faciunt nec domos solent possidere: herbis vescuntur (III 100). Hi Indi longius a Persis habitant meridiem versus, neque unquam paruerunt Darii imperio (III 101). Alii vero Indi Caspatyro urbi et Pactyicae regioni sunt finitumi, a septentrione reliquorum Indorum habitantes, qui vitae ratione utuntur Bactrianis simili. Hi sunt Indorum bellicosissimi, iidemque qui ad conquirendum aurum proficiscuntur. Est enim ibi deserta regio propter sabulum (Indis orientem versus III 98), et in hoc nimirum deserto atque sabulo sunt formicae maiores vulpibus etc. c. 102. Calantiae Indi, plane ambiguum est ubi ponendi sint, quod Herod. eos tantum bis nominat, non autem sedes innuit III 38, 97; videntur forte collocandi in iis orientis regionibus, ubi Indi qui cruda carne vescuntur habitant, quoniam Her. morem eorum corpora parentum comedendi affert III 38. Hecataeus quoque memorat eos, v. fragm. 177. Καλατίαι ἔθνος Ἰνδικόν. Ceterum monendum videtur, in Herodoto duas nominis formas legi Ἰνδοὶ οἱ καλεόμενοι Καλατίαι et οἱ Καλαντίαι Ἰνδοί.

Orientales Aethiopes, Asiam incolentes, (Αἰθίοπες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης) bis nominantur ab Herod. III 94. cum Paricaniis in praefectura septima decima et VII 70 (comp. Homeri Αἰθίοπες οἱ διχθὰ δεδαίαται) ubi cum In-

dis in agmine collocati referuntur, et ab Aethiopibus Libyam incolentibus distinguuntur: »Orientales Aethiopes rectos habent capillos, Libyci vero crispos maxime omnium hominum. Asiatici hi Aethiopes pari modo fere atque Indi erant instructi, caput autem tectum habebant pelle equina de capite equi detracta etc.«

Insulani populi (Τὰ δὲ νησιωτικὰ ἔθνεα τὰ ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης) VII 80 Anaspasti (transportati) vocantur τοὺς ἀνασπάστους καλεομένους κατοικίζει βασιλεύς.

IV. Asiae ora meridionalis.

Altera ora (IV 39.) a Perside incipiens in Erythraeum mare porrigitur, estque Persica, tum hanc excipiens Assyriaca et post Assyriacam Arabica. Iam a Perside usque ad Phoenicen lata et ampla regio est; a Phoenice vero haec ora per mare mediterraneum secundum Syriam Palaestinam ad Aegyptum porrigitur, ubi desinit, hancque oram tres tantum incolunt populi: Assyrii, Syrii (Palaestini et Phonices) atque Arabes. VII 89. II 116.

Assyrii (Ἀσσύριοι) I 178. Hi a Graecis Syrii vocati, a barbaris vero Assyrii; in exercitu mixti cum eisdem erant Chaldaei (Χαλδαῖοι) VII 63. Assyria (Ἀσσυρίη) terminatur e septentrione Armenia I 194; tangit orientem versus Persas, in occidente incolunt Arabes et in meridie situm est Erythraeum mare IV 39. Sunt autem Assyriae quum aliae urbes insignes multae tum clarissima omnium et munitissima, quae post Ninum eversam regia sedes erat, Babylon; quae describitur I 178 sqq. III 155—159. »**Tota Babylonica terra** (Βαβυλὼν) fossis est discissa, quarum fossarum maxima

VIRO ILLUSTRISSIMO

LEOPOLDO RANKE

D. D. D.

AUCTOR

I.

DE TABULA TERRARUM UNIVERSA EX OPINIONE HERODOTI.

Opera, commentationes et tabulas composuerunt Viri doctissimi:

Rennel. Geographical system of Herodotus. London 1800 cum tabula I. p. 1.

Niebuhr. Kleine Historische und Philologische Schriften. Bonn 1828, *S.* 132.

Uckert. Geographie der Griechen und Römer. Karte. I. 1.

Horum tabulae primo adspectu maxime inter se diversas se produnt. Uckerti tabula forma sua rotunda fere et undique terminata similis est Homerico orbi terrarum; Rennelii mappa orbi ex Eratosthenis opinione depicto; Niebuhrii tabula nullos habet multorum locorum certos fines, quare optima est pro verbis ipsius Herodoti postea laudandis.

Definiendo autem Herodoti circuitui terrarum aptissima sunt loca l. IV. c. 36—45. Ibi primum dicit:

»Rideo quum multos iam video describentes terrae circuitus, nec eorum ullum rectam rationem habentem quam ducem sequatur: qui Oceanum describunt quasi terram undique circumfluat, quam rotundam fingunt ve-

lut ex torno (οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ, τήν τε γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου), et Asiam aequalem faciunt Europae.«

Nullos igitur certos et terminatos fines, quoniam sint incogniti, vult Herodotus; quod liquet etiam e verbis antecedentibus, quibus negat noster Hyperboreos (εἰ δέ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ Ὑπερνότιοι ἄλλοι), ab aliis in extremis terrarum partibus borealibus positos. Falso igitur Uckertus extremis omnibus partibus certos fines depinxit.

Deinde noster progreditur ad definiendam magnitudinem Asiae et Libyae et Europae, quae ei est maxima terrae pars. Nec tamen in tres partes universam terram dividit, sed in alteram sectionem Asiae Libyaeque et in alteram Europae. IV, 42.

Θωυμάζω ὦν τῶν διουρισάντων καὶ διελόντων Λιβύην τε καὶ Ἀσίην καὶ Εὐρώπην· οὐ γὰρ σμικρὰ τὰ διαφέροντα αὐτέων ἐστί· μήκεϊ μὲν γὰρ παρ' ἀμφοτέρας παρήκει ἡ Εὐρώπη· εὖρεος δὲ πέρι οὐδὲ συμβαλέειν ἀξίη φαίνεταί μοι εἶναι etc. et IV. 44 οὕτω καὶ τῆς Ἀσίης πλὴν τὰ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τὰ ἄλλα ἀνεύρηται ὁμοῖα παρεχομένη τῇ Λιβύῃ. et c. 41 Ἡ δὲ Λιβύη ἐν τῇ ἀκτῇ τῇ ἑτέρῃ ἐστί. Fines Asiae et Libyae et Europae Herodotus enarrat verbis his:

Asiae limites, orae, centrum.

Partem australem Asiae alluit mare Erythraeum, septentrionalem Pontus Euxinus et Phasis fluvius, inter quos hi populi centrum Asiae incolunt (IV, 37):

Persae, meridionale mare quod Erythraeum vocatur accolentes: super hos septentrionem versus

Medi, super Medos

Saspires, super Saspires
Colchi, qui ad boreale mare (Pontum) in quod Phasis fluvius influit pertinent.

E centro hoc porriguntur duae orae (ἀκταὶ διφάσιαι) occidentem versus in maria. IV c. 38.

Septentrionalis ora a Phasi incipiens e boreali parte in mare excurrit secundum Pontum et Hellespontum usque ad Troicum Sigeum; ex australi parte initium capit a Myriandrico sinu in confinibus Phoenices et Ciliciae sito, et in mare porrigitur usque ad Triopium promontorium. De populis huius orae v. infra.

Meridionalis ora (c. 39) a Perside incipiens in Erythraeum mare porrigitur, estque in primo tractu Persica, deinde Assyriaca, post Assyriacam Arabica ora; boreali vero ex parte a Perside usque ad Phoenicen lata et ampla regio est; a Phoenice autem haec ora per mare mediterraneum secundum Syriam Palaestinam ad Aegyptum porrigitur, in quam desinit, hancque oram tres tantum incolunt populi.

Addit autem Herodotus, non vere desinere hanc oram, sed solummodo ex usu loquendi (λήγει δὲ αὐτή, οὐ λήγουσα εἰ μὴ νόμῳ), quibus Hecataei divisionem spectare videtur, quod affirmatur opinione nostri (c. 41) Libyam quoque in Asiae meridionali ora esse sitam (ἡ δὲ Λιβύη ἐν τῇ ἀκτῇ τῇ ἑτέρῃ ἐστί· ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου Λιβύη ἤδη ἐκδέκεται. κατὰ μὲν νυν Αἴγυπτον ἡ ἀκτὴ αὕτη στεινή ἐστι· ἀπὸ γὰρ τῆσδε τῆς θαλάσσης ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν δέκα μυριάδες εἰσὶ ὀργυιέων· αὗται δ' ἂν εἶεν χίλιοι στάδιοι· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ στεινοῦ τούτου κάρτα πλα-

τέα τυγχάνει ἐοῦσα ἀκτή, ἥτις Λιβύη κέκληται), quae verba Niebuhr in commentatione de geographia Herodoti plane transmisit. *v. Kl. Phil. u. Hist. Schriften p.* 153.

Restat Asiae pars orientalis ultra centrum illud. Haec terminata est e septentrione Caspio mari et Araxe fluvio, ex oriente deserta illa terra ultra Indos, e meridie Erythraeo mari, ex occidente centro ipso. c. 40. (τὰ δὲ κατύπερθε Περσέων καὶ Μήδων καὶ Σασπείρων καὶ Κόλχων τὰ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα ἔνθεν μὲν ἡ Ἐρυθρὴ θάλασσα παρήκει, πρὸς Βορέω δὲ ἡ Κασπίη τε θάλασσα καὶ ὁ Ἀράξης ποταμὸς ῥέων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. μέχρι δὲ τῆς Ἰνδικῆς οἰκέεται Ἀσίη· τὸ δὲ ἀπὸ ταύτης ἔρημος ἤδη τὸ πρὸς τὴν ἕω, οὐδ' ἔχει οὐδεὶς φράσαι οἷον δή τί ἐστι).

Talis igitur ac tam parva est Herodotea Asia.

Limites Libyae. c. 41.

Libya terminatur Aegypto vel potius ea parte Aegypti quae (II, 17) Asiae pars Graecis nominatur; a ceteris terris undique mari disiungitur, quod ipsa se declarat esse circumfluam. IV, 42. (Λιβύη μὲν γὰρ δηλοῖ ἑωυτὴν ἐοῦσα περίῤῥυτος πλὴν ὅσον αὐτῆς πρὸς τὴν Ἀσίην οὐρίζει.

Fines Europae.

Meridiem versus separatur ab Asia flumine Phasi, Caucaso monte, Caspio mari et Araxe fluvio. c. 45. deinde e meridie alluitur mari mediterraneo; nec vero compertum habuit noster nec ab oriente nec a septentrione num mari sit circumfluxa.

Maxima autem est pars terrae secundum Libyam Asiamque porrecta. c. 45. —

Haec est terrarum divisio Herodotea, quae quidem tota, excepta illa Europae parte quae pertinet ad Phasin et Araxen fluvios (quoniam Her. narrat IV 45 aliis esse fines Europae Tanain fluvium et Cimmeria Porthmea), ab Hecataeo Milesio iam esse dicta descriptaque mihi videtur, quia Hecataeus in descriptione orbis terrarum (περιόδῳ γῆς) Europam alteram, Asiam Libyamque vero alteram terrae partem nominat, atque Aegyptum in duas partes seiungit. Collige Hecataei Milesii fragmenta ed. Rud. Henr. Clausen p. 13. et fr. 295. 296.

II.

MARIA HERODOTI.

a. Intra columnas Herculeas.

Maria et fluvios nonnullos separatos a cetera descriptione orbis terrarum Herodoti pertractemus oportet, quum Herodoto maria et fluvii, non, ut nobis constat, montes praecipue et maria tantum, sectiones finesque populorum et terrarum faciunt.

Sed antequam disseramus de maribus ipsis, liceat nobis aliquid dicere de verbis μῆκος et εὖρος, quam significationem habeant apud nostrum definientem marium porrectionem; verba enim μῆκος et εὖρος in regionibus emetiendis nostro sensu semper accipienda sunt responsentque nostris longitudini (*Länge*) pro porrectione ex oriente occidentem versus, et latitudini e septentrione meridiem versus (*Breite*).

Excepta et contrario sensu posita sunt loca IV, 85 et II. 11, quibus Herodotus de Bospori Hellespontique

et de Arabici sinus tractu disserit (IV, 85. τούτου τοῦ πελάγεος τὸ στόμα ἐστὶ εὖρος τέσσαρες στάδιοι, μῆκος δὲ τοῦ στόματος, ὁ αὐχήν, τὸ δὴ Βόσπορος κέκληται, κατ' ὃ δὴ ἔζευκτο ἡ γέφυρα, ἐπὶ σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν ἐστι —— ἡ δὲ Προποντίς, ἐοῦσα εὖρος μὲν σταδίων πενταποσίων, μῆκος δὲ τετρακοσίων καὶ χιλίων, καταδιδοῖ ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, ἐόντα στεινότητι μὲν ἑπτὰ σταδίους, μῆκος δὲ τετρακοσίους. ἐκδιδοῖ δὲ ὁ Ἑλλήσποντος ἐς χάσμα πελάγεος τὸ δὴ Αἰγαῖον καλέεται). Haec praemittenda nobis videbantur, quod nos illis locis exceptis longitudine et latitudine verbis semper ex hodierna consuetudine utemur.

Mare nostrum. ἥδε ἡ θάλασσα.

Centrum omnium marium, ut terrarum Graeciam, mare mediterraneum fuisse Herodoto, res est notissima, nominaturque Herodoto ἥδε ἡ θάλασσα, vel ἡ θάλασσα IV, 38 al. l. atque ubi de aliis meridionalibus maribus narrat (42 al. l.) Βορηΐη θάλασσα. Et tam cognitum posuit hoc, ut nullo loco de demensione aliquid addiderit.

Partes huius maris refert multa:

Sardonium mare (τὸ Σαρδόνιον πέλαγος καλεόμενον) I, 166 inter Italiam et Sardiniam;

Thracicum mare (τὸ Θρηΐκιον πέλαγος) VII, 176. e meridie Thracicae orae;

Aegyptium mare (τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος) apud septentrionalem Aegypti oram;

Aegaeum mare, πέλαγος τὸ δὴ Αἰγαῖον καλέεται) IV, 85. et notissimas complures alias partes, quas suo quamque loco attingemus.

Maria autem contigua fretaque disertius nobis descripsit Herodotus.

Hellespontus. Ἑλλήσποντος IV. 86. 81. 85. 87.

Adsentiendum quidem est Breigero (v. Breigeri comment. de difficilioribus quibusdam Asiae Herod. apud Schweighäuser. ed. Herod. p. 102. Vol. I.) ab Herodoto nonnunquam (exempli gr. IV, 138. VI, 33.) permistas esse notiones Hellesponti et Propontidis, sed negandum est Herodotum ignorasse nec usquam vidisse nec unquam pernavigasse fretum illud; nam quae Her. nobis reliquit de longitudine et latitudine freti, nullo modo falsa vel ambigua vocari possunt, quamquam omnes alii posteriores scriptores (Scylax p. 28. Strabo XIII. p. 505. Ptol. III. 11.), praecipue vero recentiores peregrinatores multis stadiis, ut ita dicam, a sententia Herodotea remoti sunt; quippe Her. Hellesponti longitudinem computat maximo tractu a Propontide usque ad Aegaeum mare 400 stadiorum, ceteri autem omnes minorem dimensionem computaverunt. Latitudinem vero mihi videtur ex longitudine pontis Xerxis VII. 33, 34. septem stadiorum computasse. IV. 85. (repete loc. supra iam commemorat. usque ad haec ἐς τὸν Ἑλλήσποντον ἐόντα στεινότητι μὲν ἑπτὰ σταδίους, μῆκος δὲ τετρακοσίους. ἔστι δὲ ἑπτὰ στάδια ἐξ Ἀβύδου ἐς τὴν ἀκαντίον.

Propontis. ἡ Προποντίς.

Pertinet ab Hellesponto usque ad Thracicum Bosporum; utroque enim continetur freto. IV. 85. V. 122. His duobis locis describitur Propontis, et omnia alia de eo mari quae Herodoto attribuerunt viri docti, mihi quidem ambigua et dubiosa videntur. Affert autem Herodotus IV. 85. patere hoc mare in longitudinem 1400

stadia, in latitudinem 500 stadia, et verisimile quidem videtur, sed minime certum est, stadia, quibus Her. computavit, saepissime esse minora, non Olympica; sed quid dicamus, quid postulemus de mensura et comparatione oram legentis navigatoris?

Latitudinem minorem, longitudinem maiorem habere Herodotum satis scio, et id quidem omnino magni momenti apparet; minime vero constabit, Herodotum hoc eodem loco minoribus stadiis computasse, qua coniectura tota illa Breigerii sententia ap. Schweigh. Her. I. p. 107. nititur.

Bosporus Thracicus.

Θρηΐκιος Βόσπορος, IV. 83.

Nominatur etiam Βόσπορος, 85 τὸ στόμα τοῦ πόντου.

Longitudinem Bospori aestimat Herodotus IV. 85 stadiorum 120, latitudinem vero 4 stad.

Praetermittentes quae iam ab aliis diserte de hoc freto dicta sunt (v. Breiger), veniamus ad Ponti descriptionem.

Pontus Euxinus.

Ὁ Πόντος ὁ Εὔξεινος IV. 46. ὁ Πόντος 85.

Nominatur etiam, ut mare mediterraneum in antec., boreale mare Βορηΐη θάλασσα IV. 37, quod explicatur nomen adiecto: in quod Phasis fluvius influit (ἐς τὴν Φᾶσις ποταμὸς ἐκδιδοῖ.)

Recentiorum fines Ponti Euxini nihil ad nostram rem pertinent, nec mihi repetenda sunt citata de demensione huius maris apud Breiger: excerpta ex auctoribus veteribus. v. Breiger. de difficilioribus qui-

busdam Asiae Herodoteae ap. Schw. Herod. p. 109. Vol. I.

Ut autem ad oculos demonstremus errorem Herodoti de Ponto et praecipue de longitudine et latitudine huius maris et de situ ostii Istri quod e contrario Sinopae urbi posuit, omnia quae dicta sunt a nostro de Ponto, hoc loco ponemus.

At priusquam haec adferamus, nobis etiam attingenda videtur falsa ab Uckerto depicta Sinope et peninsula illa a Cimmeriis coloniis frequentata, quae apparent e l. c. IV. 12. IV. 85, 46. 37.

(Φαίνονται δὲ οἱ Κιμμέριοι φεύγοντες ἐς τὴν Ἀσίην τοὺς Σκύθας, καὶ τὴν χερσόνησον κτίσαντες, ἐν τῇ νῦν Σινώπη πόλις Ἑλλὰς οἴκισται. — τοῦ τὸ μὲν μῆκός εἰσι στάδιοι ἑκατὸν καὶ χίλιοι καὶ μύριοι, τὸ δὲ εὖρος, τῇ εὐρύτατος αὐτὸς ἑωυτοῦ, στάδιοι τριηκόσιοι καὶ τρισχίλιοι.)

Constat mihi ex his locis, Herodotum oram Ponti australem quidem navigasse, quoniam longitudinem computat a Bosporo Thracico usque ad Phasin fluvium maximam, et oram ipsam illam peninsulamque Sinopae tam accurate cognovit.

»Pontus Eux. prae regionibus omnibus habet populos incultissimos, si Scythiam gentem excipias. Neque enim populum ullum ex his, qui cis Pontum habitant, possumus sapientiae causa memorare, nec virum novimus qui eruditionis nomine claruerit, nisi Scythicum populum et in hoc Anacharsin.« IV. 46.

Haec verba memorabilia sunt, quippe quae divisionem populorum Herodoteam maria respicientem praebeant.

Tum etiam IV. 85. 86: Pelagorum omnium maxime mirabilis et spectatu sane dignus Pontus est.

Longitudinem undecim milium et centum stadiorum, latitudinem vero, ubi maxima nostro videtur, aestimat stadiorum ter mille et trecentorum.

Ut huius rationis veritas affirmaretur, addidit c. 86 rationem emetiendorum marium: νηῦς ἐπίπαν μάλιστά κη κατανύει ἐν μακρημερίῃ ὀργυιέας ἑπτακισμυρίας, νυκτὸς δὲ ἑξακισμυρίας. ἤδη ὦν ἐς μὲν Φᾶσιν ἀπὸ τοῦ στόματος, τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου μακρότατον, ἡμερέων ἐννέα πλόος ἐστὶ καὶ νυκτῶν ὀκτώ· αὗται ἕνδεκα μυράδες καὶ ἑκατὸν ὀργυιέων γίνονται· ἐκ δὲ τῶν ὀργυιέων τουτέων στάδιοι ἑκατὸν καὶ χίλιοι καὶ μυριοί εἰσι. ἐς δὲ Θεμισκύρην τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι ποταμῷ ἐκ τῆς Σινδικῆς, κατὰ τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου εὐρύτατον, τρίων τε ἡμερέων καὶ δύο νυκτῶν πλόος· αὗται δὲ τρεῖς καὶ τριήκοντα μυριάδες ὀργυιέων γίνονται, στάδιοι δὲ τριηκόσιοι καὶ τριςχίλιοι. ὁ μέν νυν Πόντος οὗτος καὶ Βόσπορος καὶ Ἑλλήσποντος οὕτω τέ· μοι μεμετρέαται καὶ κατὰ τὰ εἰρημένα πεφύκασι.

Maxima longitudo igitur a Phasi usque ad Bosporum, maxima vero latitudo, quam Uckertus paullulo remotiorem a Themiscyra falso posuit, inter Themiscyram et Sindicam regionem porrigitur.

Maeotis Palus.

Λίμνη Μαιῶτις, Μαιῆτις IV. 12. 86. 123.

Lacus, qui in Pontum influit, haud multo minor ipso Ponto, vocatur Maeotis palus et mater Ponti et Maetis IV. 86 ἣ Μαιῆτίς τε καλέεται καὶ μήτηρ τοῦ Πόντου.

Hic maximus omnium lacuum per Bosporum Cimmerium IV. 12 in Pontum se exonerat.

Maeotidis extremam partem quidem recte nominat Her. eam in quam Tanais fluvius influit, tum autem omnia

nobis interpretantibus ambigua sunt et dubiosa, quae tradidit spectantia ad hoc mare regionesque adiacentes.

Non ignoramus quattuor flumina Herodotum illius maris IV. 123 Lycum, Oarum, Tanain et Syrgin (Hyrgin nominatum c. 57) per Maeotas fluentia, sed quid amplius?

Quid dicamus, quid interpretemur de his fluviis, de nominibus eorum, quid dicamus de tractu et magnitudine? Non enim mihi videntur flumina illa explicanda et distinguenda hodiernis nominibus, quam provinciam Mannert et Rennel susceperunt; nam Tanain Don esse per se liquet, Lycum vero et Oarum et Surgin Wolga, Uzen, Ural esse (vel Hypacyrin?) nullo modo constabit mappam hodiernam inspicientibus. Tractus vero paludis in septentrionem (Uckert habet contrarium) spectare mihi videtur, quum si in aliam porrigeretur plagam, Scythia pro opinione Herodoti non haberet quadratam formam (v. autem Scythia in seq.), et Bosporum Cimmerium, de quo Herod. nihil fere nisi nomen tradidit, tam ingenti magnitudine, quam apud Uckertum spectamus, depingi necesse esset.

Quid enim? Nonne dixisset alia plura verba Herodotus de Bosporo Cimmerio tam magno ut devorare posset totam Propontidem cum Bosporo Hellespontoque?

Quare Niebuhr, quamquam huius maris minorem amplitudinem habet, in mappa sua tractum Maeotidis septentrionem versus spectantem recte posuisse mihi videtur.

Attingendus nunc etiam est locus IV. 21, ubi recessus commemoratur ὁ μυχὸς τῆς Μαιήτιδος λίμνης.

Narratur, ab intimo Maeotidis paludis recessu trans Tanain fluvium Sauromatarum regionem initium capere,

et hunc populum septentrionem versus terram in quindecim dierum iter patentem tenere.

Quodsi noster illam extremam partem, in quam Tanais fluvius influit, cognovit: qua tandem ratione Uckert recessum illum intimum maris Maeotidis orientem versus posuit nec Tanain fluvium in recessum maris huius intimum influentem depinxit?

Scilicet, Maeotidis tractu orientem versus designato influentibusque in idem mare illis aequalem cursum tenentibus Lyco Oaroque fluviis, quippe qui spatium sumerent, Tanain falso sese non exonerantem in recessum illum delineare coactus est.

Caspium mare,
ἡ Κασπίη θάλασσα.

Nullo modo, quamquam contraria multis visa sunt, Herodotus Caspium mare spectavit, nec littora adiit aut navigavit; nam fere omnia, quae ab eo de regionibus his tradita sunt, tam valde a veritate abhorrent, ut omnis explicatio in absurdum ducat.

Nusquam apud nostrum plures Araxes fluvii, quod, ut interpretationem aptissimam omniaque complectentem darent, voluerunt Buherius ac Bayerus; nusquam Wolga et alii fluvii permagni hoc mare influentes tanguntur. Et quid est quod nos, homines eruditissimi, hodie scimus de his regionibus? Non igitur mireris Herodotum fuisse imperitum tam remotarum terrarum.

Omnia vero, quae de magnitudine, de tractu et porrectione Caspii maris ex opinione Herodoti dicuntur apud Breigerum in comm. de diff. quib. Schweigh. Her. I. 115—120 plane falsa sunt, itemque Niebuhr, Larcher et ma-

xime Rennel a vero remoti sunt. Nam I. 202. 203 nobis tradidit Her. de Caspio mari haec:

„Ἡ δὲ Κασπίη θάλασσά ἐστι ἐπ' ἑωυτῆς οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. — ἡ δὲ Κασπίη ἐστί ἑτέρη ἐπ' ἑωϋτῆς, ἐοῦσα μῆκος μὲν πλόου εἰρεσίῃ χρεωμένῳ πεντεκαίδεκα ἡμερέων."

»Existit autem Caspium mare seorsim per se et cum reliquo mari non miscetur; longitudinem habet navigationis dierum quindecim navi remis agitata« (v. de navigatione unius diei IV. 86) id. e. longitud. 10500 stad.; latitud. 5600 stad.; quare Herodoto fuisse longitudine maius, latitudine paulo minus Ponto Caspium mare liquet. Hac in magnitudine peccarunt Niebuhr et Rennel, quorum uterque minoris spatii illud delineavit; collige supra dicta de Ponto.

Quid nunc autem nobis censendum de tractu Caspii maris?

Breiger, Larcher, Rennel contrariam defendunt porrectionem, atque Uckert et Niebuhr posuerunt.

Nullius vero momenti attulerunt argumenta. Equidem rogare velim, quod sit argumentationis exemplum et consequentiae exemplar, cum ex Herodoti relatis »Caucasum extendi ad Caspii maris plagam occidentalem« Breigerus colligit, spatium a meridie septentrionem versus usque ad Caucasum ei notum fuisse, cuius quidem spatii cum tanta sit longitudo, quae latitudinem vel iamiam superet vel certe aequet, necesse esse Herodotum vera vidisse, et Caspii maris longitudinem innuisse, quae a meridie septentrionem versus extendatur etc. v. Breiger. comm. de diff. quib. Asiae Herod. ap. Schw. I. 117. Haec fere ridicula sunt.

Nec Larcher contra Cellarium ullum ipsius opinionis argumentum addit (Histoire d'Hérodote traduite du Grec par Mr. Larcher. Vol. VII ind. »Mer Caspienne«) coll. etiam Geographical system of Herodotus by James Rennel. Section VII.

Mihi constat e porrectione illa ab Her. significata verbis (I 203. 204) καὶ τὰ μὲν πρὸς τὴν ἑσπέρην φέροντα τῆς θαλάσσης ταύτης etc. — τὰ μὲν δὴ πρὸς ἑσπέρην τῆς θαλάσσης ταύτης τῆς Κασπίης καλεομένης etc. et e nominatis occidentalibus tantum et orientalibus, non borealibus et australibus finibus, tractum Herodotei maris Caspii ex occidente ad orientem tendere. »Occidentalem igitur plagam huius maris Caucasus mons includit, versus auroram vero et orientem solem excipit planities immensae amplitudinis prospectu« (τὰ μὲν δὴ πρὸς ἑσπέρην τῆς θαλάσσης ὁ Καύκασος ἀπέργει· τὰ δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα πεδίον ἐκδέκεται πλῆθος ἄπειρον ἐς ἄποψιν.) Itaque quoniam mare Caspium fines Asiae ex parte facit, quo concludi fortasse potest id porrigi e longitudine, Niebuhrio et Uckerto adsentio, quamquam uterque minoris magnitudinis illud delineavit.

b. Maria exteriora Herodoti. αἱ ἔξω στηλέων θάλασσαι.

Atlanticum, Australe, Erythraeum mare. Arabicus sinus.

Recte Her. rettulit I. 202. haec omnia facere unum mare: τὴν μὲν γὰρ Ἕλληνες ναυτίλλονται πᾶσαν, καὶ ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη καὶ ἡ Ἐρυθρὴ μία τυγχάνει ἐοῦσα.

»Nam et totum, quod Graeci navigant mare (nostrum m.) et quod est extra columnas, quod ἡ Ατλαντὶς

Atlanticum vocatur, et **Erythraeum** ἡ Ἐρυθρή (ἡ εὐρέη θάλ. II 11), haec omnia unum sunt mare et contiguum.«

Quo usque autem occidentem aut meridiem versus porrigeretur mare Atlanticum, non tradidit Her., alio autem loco nominat IV. 42 νοτίην θάλασσαν, mare **Australe**, separatum ab Erythraeo, alio ipse dicit idem esse mare I. 158. (ὁρμηθέντες ὧν οἱ Φοίνικες ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης ἔπλεον τὴν νοτίην θάλασσαν — ἐς τὴν νοτίην καὶ Ἐρυθρὴν τὴν αὐτὴν ταύτην καλεομένην; IV 37; ἐπὶ τὴν νοτίην θάλασσαν τὴν Ἐρυθρὴν καλεομένην v. II 11).

IV. 41. Erythraeum mare complectitur etiam **Arabicum sinum**, ita ut hic plane omittatur (κατὰ μὲν νυν Αἴγυπτον ἡ ἀκτὴ αὕτη στεινή ἐστι. ἀπὸ γὰρ τῆσδε τῆς θαλάσσης ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν δέκα μυριάδες εἰσὶ ὀργυιέων etc.

Nonne mare Erythraeum omnia australia comprehendere videtur? Sane quidem; sed ubi noster distinctius loquitur, ubique de partibus huius maris aliquid tradidit, ibi separata Erythraeum et Australe mare et Arabicum sinum nominat. v. IV. 42.

Fluvii huius australis maris sunt Indus, Tigris, Euphrates, Corys. I. 180. 189. IV. 20. III. 9.

Arabicus sinus. Ὁ κόλπος Ἀράβιος. II. 158. 11. 152. 102. II. 8. 29. 159. 202. IV. 39. 41. 42. 44. 158.

Complura loca (v. antec.) Herodotum Arabicum sinum a mari Erythraeo separasse demonstrant. I. 102. II. 11. 159. IV. 42.

Quantam autem longitudinem Her. nobis tradiderit, plane non ambiguum incertumque mihi videtur, nam noster II. 11. longitudinem navigationis, quum ab intimo

[illegible] navi remis agitata proficiscaris donec in mare altum perveneris, tantam esse dicit, ut dies in ea consummentur quadraginta.

Ἔστι δὲ τῆς Ἀραβίης χώρης, Αἰγύπτου δὲ οὐ πρόσω, κόλπος θαλάσσης, μακρὸς οὕτω δή τι καὶ στεινός, ὡς ἔρχομαι φράσων. μῆκος μὲν πλόου ἀρξαμένῳ ἐκ μυχοῦ διεκπλῶσαι ἐς τὴν εὐρέην θάλασσαν, ἡμέραι ἀναισιμοῦνται τεσσεράκοντα, εἰρεσίῃ χρεωμένῳ.

Hi 40 dies nobis consumunt navigationem stadiorum 24000, quae duplicem Ponti latitudinem (longitudinem) transgrediuntur.

Quod vero huic numero nullus veterum auctorum consentit, et quoniam 700 miliaria Germ. nimium sint, Breigero non placuit haec computandi ratio licet adhibita in Ponti Euxini mensura, nam p. 99 ap. Schweigh. Her. I. non definitum esse, promit, num navis dimensionem instituens remis an velis ad ventum expansis acta sit.

Quid enim? Nonne eadem ratio est navigandi Ponti Euxini atque Arabici sinus, nonne ambo sunt maria, itaque oram legenti eadem mensura?

Haec Breigeriana disquirendi et explicandi via mihi quidem videtur ipsi viam carpenti scrupulum in calceo iacere et praeterea Herodotum minimae diligentiae, quamvis tacite, fere semper accusare.

Quae tum addidit Breiger p. 100. de fluxu et refluxu valde longeque impedientibus per Arabicum sinum navigantes, minime sunt momenti gravis, quod iam nobis Euxinum Pontum, olim ἄξενον nominatum, navi vehentibus saepissime gravem diuturnamque moram imposuisse notissima res se offert. Quae omnia in latitudinem quo-

que definiendam valent. II. 11: εὖρος δὲ, τῇ εὐρύτατός ἐστι ὁ κόλπος, ἥμισυ ἡμέρης πλόου. Latus igitur pro Her. opin. 350 stad. (8¾ mill. Germ.) Ex his maxime Herodotum per Arabic. sinum nec navi esse vectum nec multis locis eum vidisse liquet. Longitudo autem sinus nimia delineata in tabula non videbitur respicienti ad nostri opinionem Arabes esse extremum a meridie populum III. 107. v. infr.

III.
FLUVII HERODOTI.

Haec tandem est Herodotei orbis terrarum pars, in qua, ut ita dicam intimum eius geographicum spectaculum committitur, aptissimumque ad definiendas et designandas terras momentum invenitur.

Fluvii enim nostro sunt fines terrarum, faciuntque limites et sectiones populorum. Quod ad oculos demonstratur praecipue in Scythiae descriptione, qua inter singulos fluvios singulas gentes Scytharum incolere promisit; cui tamen haec etiam nunc dubitanda videantur, eum velim legere dicta nostri de Scio flumine IV. 49. »Scium fluvium e Paeonia et monte Rhodope fluere mediumque scindere Haemum.« (ἐκ δὲ Παιόνων καὶ οὔρεος Ῥοδόπης Σκίος ποταμὸς μέσον σχίζων τὸν Αἷμον).

Nilus fluvius Aegyptius.
Νεῖλος ὁ Αἰγύπτιος ποταμός.

Terminum facit inter Asiam et Libyam IV 45. II. 16. 17 estque uberrimum omnium fluminum.

Semper ab Her. cum Istro fluvio comparatur, quum huic oppositum attamen aequalem vel similem certe

cursum habeat II. 34; quare illos duo fluvios hac in serie componere nobis placuit.

Fontes Nili et cursus.

Nobis usque ad hanc diem incogniti sunt fontes, v. Ritter. Die Erdkunde I. p. 525. Ut fere omnes, qui priori tempore usque ad d'Anvillium de terrarum ratione scripserunt, fontes Nili multo longius ad occidentem versus ponunt, ita accidit Herodoto quoque, qui narratione scribae in Sai oppido, fluere Nilum e duobus montibus Crophi et Mophi inter Syenen et Elephantinen sitis, prudenter negata, compertum habere vult Nili cursum ad quattuor mensium ultra Aegyptum navigationem viamque; etenim tot fuisse insumendos menses, si quis ad Automolos voluerit proficisci.

Sed, si magis intuerîs Herodoti occiduam Libyam, cum Nilo plane permiscuit Nigrum fluvium, quem nos paullo abhinc demum cognovimus verum esse flumen huius nominis. II. 32. Audiverat enim ex hominibus nonnullis Cyrenaeis, qui se dicebant ad Ammonis venisse oraculum ibique sermones miscuisse cum Etearcho rege Ammoniorum, tum forte ex aliis sermonibus incidisse in confabulationem de Nilo, cuius fontes nemini essent cogniti, et dixisse Etearchum: »venisse ad se olim homines Nasamonas, ex quibus quaesisset, an aliquid amplius haberent, quae de desertis dicerent Libyae, hos narrasse, fuisse apud se dynastarum quorundam filios petulantes, qui postquam virilem attigissent aetatem, quum alia curiosius machinati sint, tum vero quinque e suo numero sorte designaverint, solitudines Libyae lu-

straturos operamque daturos, ut aliquid amplius viderent, quam hi qui eas quam longissime inspexissent. Iuvenes igitur illos ab aequalibus suis emissos aqua et cibariis bene instructos, primum terram habitatam peragrasse, eaque traiecta, pervenisse in eam quae feris referta, tum ex hac transisse in desertam, iter occidentem versus facientes. Postquam multum terrae arenosae compluribus diebus permeassent, conspexisse tandem aliquando arbores, accepisseque et fructum arborum gustasse. Gustantibus vero supervenisse homines parvos, minores modica statura, qui eos prehensos abduxissent, sermonem vero illorum non intellexisse Nasamonas nec illos sermonem ipsorum. Ab his igitur abductos esse per maximas paludes easque praetergressos pervenisse in oppidum, in quo cunctos fuisse his parvis statura aequales, nigros autem colore. Ad oppidum illud fluere flumen ingens, fluere autem ab occidente versus orientem, in eoque reperiri crocodilos« IV. c. 32.

Hoc flumen ingens pro Nilo habuit Her. cum Etearcho rege: fluere enim addit c. 33. Nilum ex Libya mediam illam secantem et parallelum Istro cursum habentem.

Ab Automolis autem semper orientem versus fluens exit Nilus per Meroën, circa Tachompso insulam et per lacum ab Aethiopibus Nomadibus circumhabitatam in Aegyptum. II. c. 29. 30. 34. ab Elephantine flectitur Nilus ad septentrionem versus II. 6. 7. 8. 9. 17. 18. 19. 34. usque ad Cercasorum oppidum; ab hoc autem oppido tres in vias scinditur, quarum una orientem versus tendit, quod

Pelusium ostium (τὸ Πηλούσιον στόμα) vocatur, altera via occidentem versus tendens

Canobicum ostium (τὸ Κανωβικὸν στόμα), media

Sebennyticum ostium (τὸ Σεβεννυτικὸν στόμα) nominatur. Sunt vero etiam duo alia ostia a Sebennytico dirempta et per se in mare exeuntia, quorum alterum

Saiticum (τὸ Σαιτικὸν στόμα); Strab. XVII 1154. τὸ Τανιτικὸν, alterum

Mendesium ostium (τὸ Μενδήσιον στόμα) appellatur. Haec sunt vera fluvii ostia et nativa, nam

Bolbitinum (τὸ Βολβίτινον στ.) et

Bucolicum (τὸ Βουκολικὸν στ.) sunt manu effossa.

Quod autem Aegyptus ex adverso sita est maxime montanae Ciliciae, unde ad Sinopen oppidum via recta est expedito homini quinque dierum, Sinope autem ex opin. Herodoti Istri ex adverso est, censet: Nilum, totam Libyam percurrentem, aequalem esse Istro Europam scindenti totam.

»Copia autem propria vel potius nativa superat maxime Nilus Istrum, nam multis fluviis mixtus Ister fit maximus, sed in hunc nullus alius fluvius, immo ne fontis quidem rivulus influit, qui eum augeat.« IV. 50.

Octo Scythiae fluvii regiones populosque sejungentes.

I. Ister, (ὁ Ἴστρος ποταμός).

Ut Nilus mediam Libyam, ita mediam perfluit scinditque Europam, initium sumens a Celtis et Pyrene oppido, desinit autem totam Europam emensus in mare influens Ponti Euxini, ubi Istriam habitant coloni Milesiorum. I 33. IV.

49. Ἴστρος τε γὰρ ποταμός, ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρήνης πόλιος, ῥέει μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην· τελευτᾷ δὲ ὁ Ἴστρος ἐς θάλασσαν τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου τῇ Ἰστρίην οἱ Μιλεσίων οἰκέουσι ἄποικοι; quare Scythiam a latere occidua adlui, finesque facit Scythiae et Thraciae, nam flectitur, ut Nilus e meridie ad septentrionem, Ister e septentrione meridiem versus, ita ut faciat Scythiam ex altero latere tam quadratam, quam Her. describit. IV. 99. Bidui itinere a Ponto Euxino scinditur in ostia sua, ubi collum fluvii ponte iunxit Darius IV. 89; ostium ipsum autem orientem versus tendit IV. 99.

Ister est maximus omnium fluviorum ex opin. Herodoti, quod multi alii in eum influunt. IV. 48. Septemdecim fluvios iam compertos habuit noster, qui se exonerant in Istrum.

ab occidente usque ad ostium orientem versus 17 fluvii sunt hi: IV 48. 49.

1) Alpis Ἄλπις ποταμός
2) Carpis ποταμὸς Κάρπις } ex regione super Umbricos fluens;

3) Brongus Βρόγγος (Molda?)
4) Angrus Ἄγγρος (Morava?) } ex Illyriis per campum Triballicum fluentes;

5) Scius Σκῖος ex Paeonia et monte Rhodope decurrens per medium Haemum (Iskru);

6) Artenes Ἀρτάνης (Stipul?)
7) Noës Νόης (Ischu?)
8) Athrys Ἄθρυς (Iantra?) } per Thraciam et Crobyzos Thraces fluentes;

9) Tibisis Τίβισις Theis?
10) Auras Αὔρας Turtukai?
11) Atlas Ἄτλας Dristra? } ex Haemi montis verticibus septentrionem versus decurrentes.

Qui undecim omnes e meridionali parte in Istrum influunt; e boreali

12) **Maris** Μάρις ποταμὸς ex Agathyrsis decurrens et quinque Scythici

13) **Tiarantus** Τιαραντός, magis ab occidente fluens minorque quam Porata; hodierno nomine fortasse Tiarantus nominetur Syl in occidua Wlachia;

14) **Ordessus**, Ὀρδησσός Siret?

15) **Naparis**, Νάπαρις Ardschisch?

16) **Ararus**, Ἀραρός Aluta? medium inter Tiarantum et Pyretum cursum hi tres ultimi tenent.

17) **Porata, Pyretus**, τόν Σκύθαι Πόρατα καλέουσι, Ἕλληνες δὲ Πυρητόν. »Magnum esse fluvium et ad orientem fluentem aquam suam cum Istro misceri.«

Ceteri magni Scythici fluvii proprium cursum tenentes 7:

II. **Tyras** IV. 11. 51. Τύρης; a septentrione progrediens fluere incipit ex magno lacu, qui in confinibus est Scythicae et Neuridis terrae; ad eius ostium habitant Graeci, qui Tyritae vocantur. οἱ Τυρῖται.

III. **Hypanis** Ὕπανις in ipsa Scythia oritur, effluitque e lacu, cui nomen merito inditum μήτηρ Ὑπάνιος mater Hypanis.

Ex hoc per quinque dierum navigationem brevis fluit et dulcis adhuc, inde vero ad quattuor dierum a mari navigationem amarus admodum, influit enim in eum fons tam amarus, ut, quamquam exiguus, inficiat tamen sapore suo Hypanin fluvium inter minores magnum. Est autem

fons amarus κρήνη πικρή in confinibus terrae **Scytharum Agricolarum** et **Alazonum**; nomen fonti et loco ipsi unde fluit Scythica lingua **Exampaeus**

Ἐξαμπαῖος, Graecorum vero sermone Ἱεραὶ ὁδοί (Sacrae viae).

In Alazonum regione modico a se invicem intervallo fluunt Tyras et Hypanis, deinde vero cursum uterque inflectit, latius intervallum in medium relinquens. IV, 52.

IV. **Borysthenes**, Βορυσθένης ποταμός, maximus horum post Istrum idemque uberrimus Nilo Aegyptio excepto. Fontes non habebat Her. compertos, nam addit IV 53 usque ad regionem cui Gerrhus nomen (μέχρι μέν νυν Γέῤῥου χώρου) IV 53, ad quam navigatio sit quadraginta dierum, compertum esse eum a septentrione fluere, ulterius vero per quos homines fluat, neminem dicere posse. Constare autem eum per desertum fluere in Scytharum Agricolarum regionem; hos enim iuxta illum ad decem dierum navigationem habitare amnem. v. Scythia. Ubi haud procul a mari fluit Borysthenes, ibi ei miscetur Hypanis et in eundem locum se exonerat. Quod ibi inter utrumque fluvium interiacet **veluti rostrum terrae** (ἐὸν ἔμβολον τῆς χώρης Ἱππόλεω ἄκρη καλέεται), **Hippolai promontorium** vocatur, in quo Dianae templum exstructum, ultra id templum vero ad Hypanin **Borysthenitae** habitant.

V. **Panticapes**. Παντικάπης. Etiam hic a septentrione fluit et lacu ortum capit; interiectamque inter hunc et Borysthenem regionem incolunt **Scythae Agricolae**, dein tunc **Hylaeam** (τὴν Ὑλαίην) permeat, qua transmissa Borystheni miscetur. IV. 54.

VI. **Hypacyris** Ὑπάκυρις. Postquam e lacu exiit et per medios Scythas Nomades fluxit, ostium habet prope **Carcinitin** oppidum (Καρκινῖτιν πόλιν) a dextra relinquens Hylaeam et **Achilleum** qui vocatur **Dromon** (Ἀχιλλήϊον καλεόμενον Δρόμον) IV. 55.

VII. Gerrhus (Γέῤῥος ποταμός) exit ex Borysthene circa illam regionis partem, usque ad quam cognitus Borysthenes est, inde a Borysthene distinctus nomen habet idem quod loci nomen est, Gerrhus. Mare versus fluens distermiuat Nomadum regionem a Regiorum Scytharum terra, influit autem in Hypacyrin.

VIII. Tanais. Τάναϊς ποταμός. In superioribus e magno lacu terrae Thyssagetarum (IV. 123.) ortus influit per Maeotas in maiorem lacum, qui Maeotis vocatur, Regios Scythas a Sauromatis dividens. In hunc vero incidit alius fluvius, cui nomen est Hyrgis Ὕργις IV. 57. 115. 116.

Hyrgis vero videtur idem esse ac Syrgis, Σύργις, qui commemoratur IV. 123., quod Her. quattuor fluvios Lycum, Oarum, Tanain, Syrgin ab oriente occidentem versus enumerat, nec ullum alium fluvium huius vel similis nominis in occidua Tanaidis parte fluentem nominavit.

Oarus et Lycus vero (Λύκος, Ὄαρος) et hic Syrgis, per Maeotas postquam fluxere, in Maeotin paludem se exonerant.

Asiatici fluvii memorabiles et fines populis ponentes:

Halys fluvius Ἅλυς ποταμός. I, 6. 72. 75. V. 52.

Limes Medici imperii et Lydici Halys erat, qui ex Armenio monte ortus per Ciliciam fluit, deinde a dextra Matienos habet, a sinistra Phryges, quos praeterlapsus boream versus sursum fluens ab altera parte Syrios Cappadocas, a laeva vero Paphlagones disiungit; tum se exonerat in Pontum Euxinum. Ita Halys fluvius omnem fere inferiorem distermi-

nat Asiam a mari quod Cypro oppositum est ad Pontum usque Euxinum, estque haec cervix totius huius regionis; ad longitudinem quod attinet, itineris expedito viro quinque dies insumuntur. De veteri Halyos fluvii cursu, deducto a Thale Milesio v. I. 75, et de porta apud eum in Phrygia, per quam omnino oportebatire priusquam fluvium traiiceres, v. V. 52.

Phasis fluvius. Phasis Colchicus IV. 37. 38. 45. (ὁ ποταμὸς Φᾶσις ὁ Κόλχος) exonerat se in mare boreale Pontum Euxinum; limitesque ponit Asiae et Europae; unde orae illae quas iam supra attigimus in maria porriguntur. Haec sunt omnia ad nostram tabulam necessaria, quae Her. rettulit.

Euphrates. Εὐφρήτης I. 180. 185. 193.

Ex parte quidem vidisse Herodotum Euphraten fluvium verisimile est, sed fontes cursumque nonnisi auditu cognitos habuisse apparet e fontium loco non satis ab eo distincto I. 180 et aliis incertis narrationibus harum terrarum.

De eo quae nobis rettulit haec sunt: Mediam urbem Babylonem perfluit et dividit flumen cui nomen Euphrates. Is ex Armenia fluit amplus et altus, atque rapidus exonerat se in Erythraeum mare, (ῥέει δὲ ἐξ Ἀρμενίων, ἐὼν μέγας καὶ βαθὺς καὶ ταχύς· ἐξίει δὲ οὗτος ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν).

Qui autem sunt Armenii Herodoto? ubi eorum sedes finesque? Nihil de iis tradidit, nisi incolere eos supra Assyrios I 194 et terminum Ciliciae et Armeniae esse flumen Euphratem. V. 52.

De cursu Euphratis curvato Herod. I 185 narrat: quum recto antea fluxisset, a regina Nitocride fossis

superne ductis tam tortuosum eum esse factum, ut ter in cursu suo ad quempiam Assyriae vicum perveniret I 185, cui nomen Ardericca (Ἀρδέρικκα); denique Euphratem influere in mare Erythraeum seiunctum nec Tigri mixtum. De ver. fontium loc. v. Breiger, de diff. quib. Schweigh. I p. 120, de antiquo alveo Plin. hist. natur. VI 31, et D'Anvillii diss. in mémoires de l'Acad. des inscript.; et de rivis canalibusque Her. ipsum I 193.

Tigris. Τίγρης. Τίγρις. I. 183. 193. II. 150. 156. V. 52.

In descripto Sardibus Susa itinere Herodotus habet illa saepissime iam a viris doctis exarata verba: ποταμοὶ δὲ νηυσὶ περητοὶ τέσσαρες διὰ ταύτης ῥέουσι, τοὺς πᾶσα ἀνάγκη διαπορθμεῦσαί ἐστι. πρῶτος μὲν Τίγρης. μετὰ δὲ δεύτερός τε καὶ τρίτος ὥυτος οὐνομαζόμενος οὐκ ὥυτος ἐὼν ποταμὸς, οὐδὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ῥέων· ὁ μὲν γὰρ πρότερος αὐτέων καταλεχθεὶς ἐξ Ἀρμενίων ῥέει, ὁ δὲ ὕστερον ἐκ Ματιηνῶν.

Pauwius emendavit sine codicum auctoritate οἱ δὲ ὕστερον pro ὁ δὲ ὕστερον, quo quidem omnis difficultas tollatur. Sin defendas lectionem ὁ δὲ ὕστερον, ut Schweighäuser, Larcher, Heeren, Breiger aliique viri doctissimi fecerunt, etiam ὁ μὲν γὰρ πρότερος Tigris et ὁ δὲ ὕστερον (complectens δεύτερόν τε καὶ τρίτον) maior minorque Zabatus vel Zabates necesse erit.

Quid autem? Num credis Herodotum praetermisisse nomen fluviorum; quos rettulit cognomines esse? »Primus est Tigris, inquit, deinde secundus et tertius idem nomen habent, quamvis non idem sint fluvius, nec eodem ex loco fluens« etc. Equidem fateor hac in re

meum animum plane in contrarias sententias distractum, multoque magis esse ambiguum, quod Her. de cursu Tigris fluvii tam pauca disseruit, nec vero ullus alius auctor plures huius nominis rettulit. Etenim cetera loca quibus nominatur hic fluvius, sunt I. 189:

»Tigris Opin oppidum praeterfluens in Erythraeum mare infunditur« — — Τίγριν, ὁ δὲ παρὰ Ὦπιν πόλιν ῥέων ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν ἐκδιδοῖ· 193: »Fossarum maxima Babylonicarum, orienti hiberno obversa influit ex Euphrate in alium fluvium Tigrin, qui Ninum praeterfluit«: v. II. 150. VI. 20:

»In mare autem Erythraeum Tigris evolvitur iuxta Oppidum Ampe nominatum. In tabula igitur nostra depingere non possumus Zabates fluvios, quum Her. nullo loco nominet eos.

Ἴς. Is fluvius.

I. 179: ἔστι δὲ ἄλλη πόλις ἀπέχουσα ὀκτὼ ἡμερέων ὁδὸν ἀπὸ Βαβυλῶνος. Ἴς οὔνομα αὐτῇ. ἔνθα ἐστὶ ποταμὸς οὐ μέγας· Ἴς καὶ τῷ ποταμῷ τὸ οὔνομα. ἐςβάλλει δὲ οὗτος ἐς τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν τὸ ῥέεθρον. οὗτος ὦν ὁ Ἴς ποταμὸς ἅμα τῷ ὕδατι θρόμβους ἀσφάλτου ἀναδιδοῖ πολλούς· ἔνθεν ἡ ἄσφαλτος ἐς τὸ ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος ἐκομίσθη.

Quae verba, nisi Im influere in Euphratem Her. dixisset et hic locus insigne eius veritatis testimonium esset, non allegassem; etenim Herbelot: Bibl. orient. voce Hit (v. Breiger ap. Schw. Her. I p. 134) confirmat verbis: »Hit c'est le nom d'une ville d'Erac ou Iracque — elle est située sur un des bords de l'Euphrate, lequel en se courbant regarde le septentrion, éloignée de la ville de Cudesie huit parasanges, qui font seize lieues communes. Cette ville selon les géographes orientaux

a des choses remarquables: la première est une fontaine ou source de Naphthe, que les Persans appellent Tschechmekir, fontaine de poix. Ces auteurs disent, que ce fut avec cette Naphthe qu'on l'on bâtit les tours et les murailles de Babel. Ocoun-Hit, les fontaines de Hit d'où sortait cette Naphthe, sont célèbres parmi les Arabes et parmi les Persans (v. etiam mappam l'Euphrate et le Tigre par le Sr. D'Anville. Norimb. 1783 et Karte vom Bosporus bis zu den Gangesquellen. Berlin 1825 v. R. v. L.)

Gyndes. Γύνδης ποταμός. I. 189. V. 52.

Quod voluit Schoell ad interpr. suam Her. V. 55. esse Gyndem fluvium Diala hodiernum, nihil ad nostram rem pertinet et per se ambiguum videtur, etenim valde incertus nobis exstat Her., quod de hoc fluvio lectiones haud dubie sunt depravatae. Fontes habet in Matienis montibus I. 189, tum perfluit per Armeniam V. 52: ποταμοὶ δὲ τέσσαρες διὰ ταύτης (sc. Ἀρμενίης) ῥέουσι — ὁ δὲ τέταρτος τῶν ποταμῶν οὔνομα ἔχει Γύνδης τὸν Κῦρος διέλαβέ κοτε ἐς διώρυχας ἑξήκοντα καὶ τριηκοσίας et I. 198: per Dardanenses in alium fluvium Tigrin sese exonerans ῥέει δὲ διὰ Δαρδανέων, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς ἕτερον ποταμὸν Τίγριν.

De Dardanensibus autem Mesopotamiam incolentibus plane ignoramus, quare multi viri docti multas coniecturaverunt lectiones.

Reiske vult Δαραιέων; Chytraeus vero et H. Stephanus et Cellarius Δαρνέων; Breiger Ἀρμενίων, quae ultima lectio adsentit loco V 52; sed quum nullus codex Breigerianae coniecturae faveat, mihi quidem probabilior esse videtur illa Darnensium Δαρνέων, quorum urbs Darna in

Ptol. geogr. VI. 1, in hoc locorum tractu nominatur, praesertim quum haec coniectura nixa sit codice Ask. v. Schweigh. Adnot. ad Her. I. 188. in Vol. VI.

Hic attingendus est nobis error Uckerti qui Gyndem fluvium nimis septentrionem versus in Tigrin influentem delineavit, quod falsum esse ex l. c. I. 189. liquet, ubi Her. Cyrum adversus Babylonem profectum ad Gyndem amnem pervenisse narrat.

Choaspes fluvius. Χωάσπης ποταμός.

Choaspem his tetigit noster I. 188. V. 52 »ex eo regem solo bibere atque fluvium in Cissia regione ad Susa fluere« (καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χωάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μόνου πίνει Βασιλεύς.) v. de cursu. Larcher. ind. geogr. Her. VII.

Araxes. Ἀράξης ποταμός. v. I. 9. 10. 11. 201. 203. 205. 204. II. 11. 102. IV. 11. 40.

Araxis nomine mihi quidem videtur Her. multos magnorum fluviorum septentrionalis Asiae auditu tantum sibi cognitos permiscuisse sive complexus esse; nam veteribus scriptoribus non unum tantum fluvium Araxen nominatum notum fuisse, sed minimum sex occurrere qui errore scriptoris cuiusque hoc nomen prae se ferant, constat; tum vero omnes explicationes, quae ad Wolgam aut ad Oxum fluvium spectant, ita a re alienae sunt ut nullo modo possint probari; ut adsentias meae sententiae, v. Breigerum ap. Schwgh. Her., qui diserte acuteque contradicens iis qui de Wolga fluvio censuerunt, attamen Oxum esse ab Herodoto innutum contendit, et ut haec sententia salva sit, duas Herodotei

textus lectiones delere vult. Quare nihil nisi compilare velim loca Herod. ad hunc fluvium attinentia IV. 40. I. 202: »Fluit Araxes ex Matianis contra solem orientem. Erumpit autem ex quadraginta orificiis, quae omnia uno excepto in paludes et lacunas exeunt. Unus ille alveorum Araxis nullo obstante impedimento in Caspium mare influit; ex parte fines facit Asiae et Europae I. 201. 205. 209. 210. 211. IV. 40: in ripa orientali incolunt Massagetae; Araxes autem ab aliis maior, ab aliis minor esse perhibetur Istro; esse autem in illo, aiunt, insulas frequentes Lesbi fere magnitudine. In his habitare homines qui aestate radicibus vescantur« etc. Haec sunt ad tabulam pertinentia.

Aces. Ἄκης. Ἄκις. **III. 117.** (v. Heysch.)

Ἔστι δὲ πεδίον ἐν τῇ Ἀσίῃ περικεκληϊμένον οὔρεϊ πάντοθεν, διασφάγες δὲ τοῦ οὔρεός εἰσι πέντε· τοῦτο τὸ πεδίον ἦν μέν κοτε Χορασμίων ἐν οὔροισι ἐὸν τῶν Χορασμίων τε αὐτέων καὶ Ὑρκανίων καὶ Πάρθων καὶ Σαραγγέων καὶ Θαμαναίων· ἐπεί τε δὲ Πέρσαι ἔχουσι τὸ κράτος, ἔστι τοῦ βασιλῆος. ἐκ δὴ ὦν τοῦ περικληΐοντος οὔρεος τούτου ῥέει ποταμὸς μέγας, οὔνομα δέ οἱ ἐστὶ Ἄκης· οὗτος πρότερον μὲν ἄρδεσκε διαλελαμμένος πανταχοῦ τῶν εἰρημένων τούτων τὰς χώρας, διὰ διασφάγος ἀγόμενος ἑκάστης ἑκάστοισι. ἐπεί τε δὲ ὑπὸ τῷ Πέρσῃ εἰσί, πεπόνθασι τοιόνδε. τὰς διασφάγας τῶν οὐρέων ἐνδείμας ὁ βασιλεὺς πύλας ἐπ' ἑκάστῃ διασφάγι ἔστησε. ἀποκεκληϊμένου δὲ τοῦ ὕδατος τῆς ἐξόδου, τὸ πεδίον τὸ ἐντὸς τῶν οὐρέων πέλαγος γίνεται, ἐκδιδόντος μὲν τοῦ ποταμοῦ, ἔχοντος δὲ οὐδαμῇ ἐξήλυσιν.

Nihil amplius Herodotus de Ace fluvio tradidit, nec quisquam aliorum auctorum nominavit eum: elige quem

tibi animus cupiat, e fluviis Asiae. Mannert eum quaerit in Kaschmiriana terra et hodiernum esse vult Tschunab sive Tschinab; Sainte Croix, Barbier du Bocage, Gatterer, Heeren, Breiger volunt Ochum.

Indus. Ἰνδὸς ποταμός. IV. 44.

Indus, unus post Nilum omnium fluviorum qui crocodilos alat, in Pactyica regione, ubi urbs Caspatyrus sita est, natus orientem versus in mare influit. Haec sunt omnia ad tabulam necessaria quae ab Herodoto tradita sunt.

De Corye fluvio v. infra Arabes.

IV.

EUROPA. Εὐρώπη.

Incipiamus ab occidente, progredientes paullatim ad orientem.

Populorum qui Europam incolunt extremus ab occidente sunt Cynesii sive Cynetae (Κυνήσιοι, Κύνηται) II. 33. IV. 49; habitant autem extra columnas Herculis. Si vera est opinio Clausenii qui Herodotum ex Hecataeo verba de Cynetibus repetiisse censet, hac ratione probabilis ea mihi videtur, quod Herodotus apud hunc populum non memorat res pretiosas, quum eas apud omnes alios qui extremas terrarum sedes tenent, addiderit.

Cynesiorum finitimi sunt Celti (Κελτοί), et ipsi extra Herculis columnas incolentes. Ex iis Ister fluvius apud Pyreoen oppidum initium sumit. (In Hecataei fragm. duae urbes inveniuntur, Ναρβών et Νύραξ.)

Tartessus (Ταρτησσός) item extra Herculis columnas ponenda est. Narrat enim Herodotus IV. 152, Samios ex insula sua profectos, subsolano vento esse

abreptos, et, non intermittente vi venti per Herculis columnas transvectos Tartessum pervenisse. Cf. Hecat. 4. Ἐλιβύργη πόλις Ταρτησσοῦ.

Erythia et **Gadira** insulae extra columnas IV. 8. (ἡ Ἐρύθεια νῆσος ἡ πρὸς Γηδείροισι τοῖσι ἔξω Ἡρακλήϊων στηλέων). Graeci narrant Geryonem extra Pontum habitasse insulam illam quam Erythiam Graeci vocant prope Gades extra Herculis columnas in Oceano, v. Hecat. Claus. 349.

Cassiterides autem et **Eridanum** fluvium negat Herodotus, atque etiam de extremis Europae terris se ignorantem profitetur III. 115: »De extremis Europae occidentalis, quod pro accurate comperto dicam non habeo. Neque enim adsentior Eridanum aliquem fluvium nominari a barbaris, qui in mare boreale influat, a quo ad nos electrum venire dicitur, neque insulae mihi cognitae sunt Cassiterides: nam et Eridani ipsum nomen se prodit Graecum esse, neutiquam barbarum, videlicet a poeta aliquo fictum, neque ab quoquam qui ipse suis oculis vidisset, quamvis studiose id egerim, comperire potui mare ultra Europam esse. Ab extrema autem Europa et stannum nobis venit et electrum.« Ex his apparet nec fluvium Eridanum neque Cassiterides insulas in tabula esse delineandas, quod Uckertus fecit; ne Mannertum quidem errorem effugisse liquet, quum dicat in Geog. der Gr. und R. p. 38. »und geographisch weiss Herodot dass wirklich Cassiteriden existiren.«

Iberiam (ἡ Ἰβηρίη) memorat noster I. 163. al. l., nec vero usquam descripsit, v. igitur Hecat. fragm. 11 — 18.

Ligyes (Λίγυες) (Ligures) V. 9. nominantur. **Massaliam** vero (Μασσαλίη) num Herodotus nominaverit

plane incertum manebit quum lectio sit incerta. Nimirum verba V. 9 σιγύννας δ' ὦν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες τοὺς καπήλους, Κύπριοι δὲ τὰ δόρατα inepti cuiuspiam commentatoris doctrinam redolere mihi quidem pro virili parte videntur: nam quum aliis locis, quamvis idonea occasio esset Massaliae commemorandae, non commemoravit eam, tum vero in enumerandis Phocaeensium navigationibus et terris ab eis inventis I 163 cur non Massiliae originem adiecerit admodum est mirum: quare delere totam illam lectionem Massiliamque prorsus eiicere velim: v. Hecat. ed. Clausen de Ligyibus fr. 20. 23. 24, de Massilia fr. 22 et Thuc. VI 2.

Helisyci (Ἐλίσυκοι) Herodoto memorantur VII 165. v. Hecat. fragm. 20; de quibus Avienus Hecataeum, ut Clausenio videtur, haud dubie secutus: »gens Elisycorum prius loca haec tenebat atque Narbo civitas erat ferocis maximum regni caput. His salsum in aequor amnis Attagus ruit.« Hecataeus eos populum Ligyum ἔθνος Λιγύων) dicit, quare Niebuhr eos falso posuit in Italia.

Italia Herodoti. ἡ Ἰταλίη.

Saepius memoratur apud nostrum Italia, etsi huius terrae secundum partes suas descriptionem nullo modo praebet: quare nihil nisi quae Herodotus propria et diversa a posterioribus auctoribus habet, quoniam hoc tantum etiam in ceteris regionibus populisque describendis consilium est nobis, afferre possumus.

Nomen Italiae omnibus in Herodoti locis significat australem et eam quidem partem quae a Graecis habitatur. Gravis argumenti sunt huius rei VIII 62, ubi

oracula Graecis Italiam h. e. australem Italiae partem donant; et VI 127, ubi Smindyrides Sybarita Graecis adnumeratur: etenim Herodotus, postquam c. 126 narravit Clisthenem per praeconem iussisse nunciari, quisquis Graecorum, dignum sese iudicaret qui gener fieret Clisthenis, is Sicyone adesset, pergit c. 127 »ex Italia advenit Smindyrides« conf. IV 15. III 136. 138. v. de nomine Italiae disquisitionem Bredowii apud Schweigh. Her. I p. 68.

Partes Italiae.

Tyrsenia ἡ Τυρσηνίη I 163. Bredow apud Schweigh. Her. I p. 69 argumentis non firmat opinionem suam Italiam Tyrseniae esse partem: ex omnibus locis quibus Herodotus de Tyrrhenis disseruit, plane non apparet Tyrseniae pars Italia; sed I 94. 166. VI 22 mihi videtur Herodotus Tyrrhenos atque Tuscos, Tyrseniam ac Tusciam unum idemque habere, quoniam oram tunc a Tuscis iam occupatam, et borealem et occidentalem, nominat Tyrseniam: „ἐπὶ τούτου τὴν ἐπωνυμίην ποιευμένους ὀνομασθῆναι Τυρσηνούς. — Τυρσηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι. — ἡ δὲ καλὴ Ἀκτὴ αὕτη καλεομένη ἐστὶ μὲν Σικελῶν, πρὸς δὲ Τυρσηνίην τετραμμένη τῆς Σικελίης„ v. Hecat. 25.

Iapygia. Messapia. Oenotria. Lucania. Has terras Herodotus, quum in ipsa Italia Thuriis aliquamdiu vixerit, omnes sine dubio certe optimeque compertas habuit, etsi amplam plenamque narrationem de iis non reliquit. Cur vero plane omisit noster descriptionem terrarum eo iam tempore tam florentium? Equidem quartum historiae librum in Italia Thuriis scripsisse eum vel certe emendasse existimo, quoniam in

hoc ipso libro Atticae situm ignorantes Japygiae notitiam habere confidit IV 99: eaque ex causa terrarum propinquarum descriptionem incolis minime remotis non composuisse videtur. Cetera de his regionibus praecipua loca haec sunt III 138. VII 170. I 167 „ἀναχθέντες δὲ ἐκ τῆς Κρότωνος οἱ Πέρσαι ἐκπίπτουσι τῇσι νηυσὶ ἐς Ἰηπυγίην. — ὡς κατὰ Ἰηπυγίην γενέσθαι πλώοντας (Κρῆτας) . . . . ἐνθαῦτα Ὑρίην πόλιν κτίσαντας καταμεῖναί τε καὶ μεταβαλόντας ἀντὶ μὲν Κρητῶν γενέσθαι Ἰήπυγας Μεσσαπίους. — οἱ δὲ αὐτῶν ἐς τὸ Ῥήγιον καταφυγόντες, ἐνθεῦτεν ὁρμεώμενοι ἐκτήσαντο πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίης ταύτην, ἥτις νῦν Ὑέλη καλέεται.“ Croton, Sybaris, Rhegium, Taras, Hyria al. urbes aliis locis nominantur. De Iapygia v. etiam Hecat. 26. 54. 55. 56.

Umbria. Ὀμβρικοί. In Umbria vel in parte huius regionis habitare Tyrrhenos Herodotus credidisse videtur: narrat enim de Lydorum emigratione I 94, Lydos multas gentes praetervectos in Umbriam pervenisse, ibi oppida condidisse atque ad suum usque diem habitare; mutato vero Lydorum nomine, a regis filio, qui coloniam deduxisset, Tyrrhenos se ipsos vocasse. Populum autem ex opinione nostri satis magnum fuisse Umbricos apparet ex l. IV 49, ubi duos fluvios oriri in eorum terra dicit: „ἐκ δὲ τῆς κατύπερθε χώρης Ὀμβρικῶν Κάρπις ποταμὸς καὶ ἄλλος Ἄλπις ποταμός πρὸς βορῆν ἄνεμον καὶ οὗτοι ῥέοντες ἐκδιδοῦσι ἐς αὐτόν.“ Alpim autem occiduum esse horum amborum, inde liquet quod ceteri fluvii ab oriente ad occidentem enumerantur. Uckertus igitur falso hos posuit. Cf. etiam Hecat. fr. 30—39.

Insulae.

Cyrnos (Κύρνος) commemoratur I 165. 166. cum

urbs Phocaeensium Alalia (Ἀλαλίη), v. Hecat. 25: Sardo (Σαρδώ) I 170. 166. VII 165 et Sardonium mare (τὸ Σαρδόνιον πέλαγος), v. Hecat. 3. 217. Sicilia, olim Sicania nominata (VII 170 Σικανίη ἡ νῦν Σικελίη καλεομένη) multis locis a nostro commemoratur, nec tamen porrectionis, situs et soli ratio describitur. VII 153—167 complures urbes inveniuntur: Syracusae 156 al. l., Gela 153, Mactorium 154, Callipolis, Naxos, Zancle, Leontini, Camarina 155, Hybla, Casmenae, Megara Sicilica, Euboea Sicilica, Egesta 156, V 42, Eryx, Heraclea, Minoa Sicilica 46, Selinus VII 165, Himera, Acragas, Camicus VII 170, Cale Acte VI 22; unde Sicilia ei notissima apparet: v Hecat. 43—50.

Eneti (Ἐνετοί) ad Adriam habitant, V 9, et sunt natio Illyrica I 196.

Sigynnae (Σιγύνναι). Hic solus populus trans Istrum incolit, pertinet autem usque ad Enetos apud Adriam incolentes. Post Sigynnas autem terra deserta et sub septentrione regiones propter frigus inhabitabiles V 9. 10.

Haec sunt omnia quae Herodotus comperta habebat de occiduis et borealibus Europae partibus.

Illyrii saepius nominantur et Triballorum campus (v. supra et I 196), nec fines vero designantur.

Graecia, quae sita est media in terra, Macedonia et Thessalia, quas noster sine dubio optime cognovit et ex parte descripsit (ex. gr. Thessaliam olim lacum fuisse prompsit) hoc loco, quod tabula nostra minus spatium relinquit, et Herodotus ipse has terras notissimas praesumpsit, describi non possunt.

Thraces. Thracia. ἡ Θρηΐκη γῆ. Θρήϊκες.

Thraces sunt omnium gentium maxima ex opin. Herodoti, nam earum quoque regionum quae postea Moesiam et Cisdanubianam Daciam complectuntur, partem inhabitant: terminantur enim Scythis, Ponto Euxino, Propontide, Macedonia, Illyride, Sigynnis et Istro flumine, IV 99: Τῆς δὲ Σκυθικῆς γῆς ἡ Θρηΐκη τὸ ἐς θάλασσαν πρόκειται. κόλπου δὲ ἀγομένου τῆς γῆς ταύτης ἡ Σκυθική τε ἐκδέκεται, καὶ ὁ Ἴστρος ἐκδιδοῖ ἐς αὐτὴν πρὸς εὖρον ἄνεμον τετραμμένος τὸ στόμα. coll. IV 80.

Fluvii plures quidem memorantur, nec vero accuratius describuntur. Sunt autem, praeter eos qui in Istrum influunt et supra iam recensiti sunt, hi: Tearus (Τεαρὸς ποταμός) IV 89. 90. ab accolis fluviorum optimus existimatus, qui ad sanandos morbos aptissimam aquam praebeat: iter ad eius fontes aequale est ex Heraeo oppido, quod ad Perinthum est, et ex Apollonia, quae est ad Pontum Euxinum, utrimque bidui iter: influit in Contadesdum (Κορτάδεσδος ποταμός); hic vero in Agrianes; Agrianes (Ἀγριάνης) in Hebrum; Hebrus vero (Ἕβρος) in mare se exonerat prope Aenum oppidum. Angites (Ἀγγίτης ποταμός) influit in Strymonem (Στρυμών), inter quos sita est regio Phyllis VII 112. 113. Axius fluvius (Ἀξιός) commemoratur l. c. et VII 124. De Artisco autem et aliis minoribus v. infra.

Singulae autem nationes regionesque Thraciae ab Herodoto nominatae hae sunt:

Crobyzi (Κρόβυζοι) ex oriente Triballorum, IV 49. v. Mannert in Geogr. der Gr. und R. egregie disserentem de hoc populo; Scyrmiadae (Σκυρμιάδαι) et Nipsaei (Νιψαῖοι) super Apolloniam et Mesambriam:

Getae (οἱ Γέται), qui septentrionem versus Thraciae habitant IV 92. 93; Odrysae apud Artiscum fluvium in centro Thraciae incolunt (Ἀρτισκὸς ποταμὸς ὃς διὰ Ὀδρυσέων ῥέει).

Hae sunt nationes septentrionales, tum autem tetigit noster eas praecipue quae oram maritimam tenent.

Crestonaei et Placiani (Κρηστωνιῆτοι· Πλακιηνοί) supra Tyrrhenos Crestonem oppidum incolentes; soli ex Pelasgis Herodoti tempore supererant Crestonaei et Placiani, qui Placiam et Scylacen in Hellesponto condiderunt, I 57 (v. O. Müller Orchom. et Niebuhr röm. Gesch.); a Crestonaeis initium sumit fluvius Echerodus (Ἐχείρωδος) per Mygdoniam fluens.

In hac terra Mygdonia (Μυγδονίη χώρη) situm erat Therma oppidum (ἡ Θέρμη); inde castra Xerxis usque ad Lydiam fluvium et Haliacmonem, qui Bottiaeam a Macedonia disterminant, patebant, VII 124. 127, fluvii autem ipsi in eundem alveum aquas suas confundunt.

Paeones. Παίονες. Paeonia. ἡ Παιονίη. V 12. 13. 15. 16. VII 113. Paeones ipsi apud Her. V 18 narrant, Paeoniam regionem ad Strymonem fluvium sitam, Strymonem vero haud procul ab Hellesponto, esse autem Paeones Teucrorum ex Troia colonos. Quae omnia Herodotus notissima posuit. Sed adhuc nobis addendae sunt stirpes Paeonum V 15. VII 113. V 16: Siropaeones (Σιροπαίονες), Paeoplae (Παίοπλαι), Doberes (Δόβηρες) et ii qui usque ad lacum Prasiadem habitant; hi omnes a septentrione Pangaei incolunt. Tum sequuntur e meridie gens et regio circa Pangaeum montem, quae Phyllis nominatur (Φυλλίς) VII 113: ea occidentem ver-

sus ad fluvium Angiten, qui Strymonem influit, meridiem versus ad ipsum Strymonem pertinet.

Agrianes (Ἀγριᾶνες) apud fluvium illum qui in Hebrum influit IV 90. V 16. v. supra.

Regio ad mare porrecta Aegaeum describitur ab Herodoto l. VII 108—115, ubi urbes populique Thraciae nominantur hi, et in ora ipsa incolentes et paulo altius mediam oram habitantes: Acanthus urbs (Ἄκανθος) Stagirum urbs (Στάγειρον πόλις); Sylëus campus in Chalcidice (Συλέος πεδίον) c. 115; Posideïum promontorium (Ποσιδήϊον), in quo templum Neptuni et sinus Posideïus; Bisaltae et Crestonica terra sub uno rege (ὁ τῶν Βισαλτέων βασιλεὺς γῆς τε τῆς Κρηστωνικῆς): Bisaltia regio (Βισαλτίη) cum urbe Graeca Argilo (Ἄργιλος) sita est ex occidua parte Angitis fluvii et ex oriente Mygdoniae et Crestonicae, c. 115; Ennea Hodi (Ἐννέα Ὁδοί) et Edoni, qui hanc urbem habitant (Ἠδωνοί) V 11. VII 113. V 126. VII 124. 11. 23. IX 75. VII 110; Odomanti (Ὀδόμαντοι) c. 112. e septentrione Edonorum V 6. et Pieres (Πίερες) cum castellis Phagre et Pergamo VII 112. 131. 177. (Φάγρης et Πέργαμος τείχεα) et Satrae (Σάτραι), hi tres ultimi praecipue habent metalla Pangaei. Satras nullius unquam hominis imperio fuisse subiectos tradidit Herodotus c. 111: incolunt enim praealtos montes nemoribus omnis generis et nive obtectos suntque belli imprimis strenui. Apud eos est Bacchi oraculum (τοῦ Διονύσου τὸ μαντήϊον) in altissimis situm montibus: Bessi autem (Βησσοί) apud Satras in hoc templo oracula interpretantur. Horum finitumi sunt Dersaei (Δερσαῖοι), Sapaei (Σαπαῖοι) ad ostium Nesti VII 110, Bistones (Βίστονες), Cicones

(Κίκονες), qui etiam Galaicam et Brianticam tenent, v. infra, Paeti (Παῖτοι) ad Hebrum fluvium. De his omnibus v. Mannert Geogr. der Gr. und R. VII p. 1—44. Porro nominantur Pistyrus urbs (Πίστυρος) VII 109, ad quam lacus est triginta fere stadiorum in circuitu, piscosus et salsus admodum; Abdera urbs (Ἄβδηρα) VII 109. IV 143 seq. VI 43 seq., ibi Nestus fluvius in mare influit; Dicaea urbs (Δικαία) VII 109, apud quam Bistonis lacus (Βιστονὶς λίμνη); Stryme et Maronea urbes (Μαρωνείη, Στρύμη), inter quas situs est lacus Ismaris (Ἰσμαρὶς λίμνη), Stryme vero Thasiorum est, c. 108; Mesambria urbs (Μεσαμβρίη), inter hanc et Strymen medius interfluit Lissus amnis (Λισσὸς ποταμὸς) c. 108, est autem Mesambria extremum ab occidente Samothracicorum castellorum. Tota autem illa regio circa Strymen nominabatur Briantice (Βριαντική), ante Her. temp. autem Gallaica (Γαλλαϊκή), erat autem et ipsa Ciconum. Doriscus (Δορίσκος) VII 59. 108. al. ora est Thraciae et ampla planities quam Hebrus perfluit. In eadem planitie castellum extructum est regium, quod et ipsum Doriscus nominatur, in litore sunt urbes Sale Samothracica et Zona; extremum vero est Serrheum, celebre promontorium, regio autem olim fuerat Ciconum: v. supra.

De Doloncis (Δόλογκοι) v. VI 34. 35. 46; de Apsinthiis (Ἀψίνθιοι) VI 34. 36; de Lampsacenis (Λαμψακηνοί) VI 37. Omnino de Chersoneso et proximis locis (ἡ Χερσόνησός τε, ἐν τῇ πόλεις συχναὶ ἔνεισι, καὶ Πέρινθος, καὶ τὰ τείχεα τὰ ἐπὶ Θρηΐκης, καὶ Σηλυμβρίη τε καὶ Βυζάντιον — Βυζάντιοι Χαλκηδόνιοι — Προκόννησος καὶ Ἀρ-

τάκης — Κύζικος, Κυζικηνοί — Καρδίη πόλις) v. VI 33. VII 58. VI 36—38.

De Thracibus Brygis (Βρύγοι Θρήικες) v. VI 45. VII 185. VIII 138. Ii habitasse dicuntur apud Hortos Midae circa Bermium montem; finitimi sunt Macedonibus et ab his primi subiecti.

De Crobyzis Thracibus (Κρόβυζοι) iam supra in fluviorum recensione nominatis v. Hecat. fr. 1. c.

De tota Her. Thracia comp. Hecat. fragm. 115—135. et 141—150.

Scythia et finitumae terrae.
ἡ Σκυθικὴ γῆ. οἱ Σκύθαι.

Scythia sive regio quam Scythae Her. aetate incolebant, terminatur Tanaide fluvio, Maeotide palude, Ponto Euxino, Istro, Agathyrsis, Neuris, Androphagis, Melanchlaenis, IV 99. 16. 100. 101. 21. Scythia igitur, formam fere quadratam habens, a duabus partibus ad mare pertinens, utraque versum sibi aequalis est, tum qua in mediterranea loca porrigitur, tum secundum mare. Etenim ab Istro ad Borysthenem iter est 10 dierum, itemque 10 dierum a Borysthene ad Maeotin paludem, a mari vero in mediterranea ad Melanchlaenos, qui supra Scythas incolunt, iter est 20 dierum. Iter autem diurnum Herodoto aequat ducena stadia. Quare Scythica terra in transversum patebat quattuor milia stadiorum, totidemque stadia in rectum mediterranea versus. Itaque Scythia Herodoti et in longitudinem et in latitudinem centena miliaria Germanica patebat.

Partes huius terrae, exceptis Graecis coloniis, a duobus populis sunt habitatae: IV 99: »Protinus ab Istro

est vetus Scythia, meridiem versus sita usque ad oppidum cui Carcinitis nomen, (Καρκινῖτις, in Hylaeae extrema parte sita. v. Hecat. fr. 153 et Her. IV 55. apud Hypacyris ostium); tum contiguam hinc regionem, ad idem mare pertinentem, quae montana est et in Pontum prominens, incolit Taurica gens usque ad Chersonesum asperam quae vocatur (μέχρι Χερσονήσου τῆς τρηχέης καλεομένης); haec vero ad illud mare pertinet quod est orientem versus, v. etiam de Regione Cimmeria, Cimmeriis castellis, Cimmerio portorio IV 12: καὶ νῦν ἔστι μὲν ἐν τῇ Σκυθικῇ Κιμμέρια τείχεα, ἔστι δὲ Πορθμήϊα Κιμμέρια, ἔστι δὲ καὶ χώρη οὔνομα Κιμμερίη, ἔστι δὲ καὶ Βόσπορος Κιμμέριος καλεόμενος. Quae vero sunt super Tauros et ad mare quod ad orientem est pertinent, ab occidente Bospori Cimmerii et Maeotidis paludis usque ad Tanaim fluvium, ea rursus Scythae incolunt.

Variae Scytharum nationes.

Ab Hecataeo Milesio nominantur quattuor Scythici populi et unum oppidum quorum Herodotus mentionem non fecit: Myrgetae, Matyzetae, Isepi, Edi et Candesus urbs (Καρδησσὸς πόλις Σκυθίας). Herodotum regiones gentesque Scythicas non omnes vidisse constat e l. IV c. 16, ubi allatis Issedonum narrationibus dicit: „ἀλλ' ὅσον μὲν ἡμεῖς ἀτρεκέως ἐπὶ μακρότατον οἷοί τ' ἐγενόμεθα ἀκοῇ ἐξικέσθαι, πᾶν εἰρήσεται: multa quidem igitur auditu tantum ei cognita sunt.

a) Nationes iuxta Hypanin fluvium ab occidente Borysthenis IV 17.

In media fere ora maritima Scythiae situm est emporium **Borysthenitarum** Olbiopolis (Ὀλβιόπολις); ab hoc septentrionem versus habitant **Callipidae** (Καλλιπίδαι) Graeci Scythae; super hos alius populus qui vocatur **Alazones** (Ἀλαζῶνες); super Alazones **Scythae aratores** (Σκύθαι ἀροτῆρες); super hos **Neuri** (Νευροί), qui non sunt Scythae, sed Scythicis tantum institutis utuntur; a Neuris vero septentrionem versus est **deserta terra** (ἐρῆμος ἀνθρώπων ὅσον ἡμεῖς ἴδμεν).

b) Trans Borysthenem fluvium. IV 18.

Prima a mari regio **Hylaea** est (ἡ Ὑλαίη). Supra hanc proximi habitant **Scythae agricolae** (Σκύθαι γεωργοί), quos Graeci Hypanin fluvium accolentes **Borysthenitas** nominant; hi Scythae **ad orientem** Borysthenis porriguntur ad **trium** iter dierum, pertinentque usque ad fluvium cui nomen **Panticapes**, **septentrionem** versus autem **undecim** dierum est iter adverso flumine navigantibus. Iam supra hos est longe lateque **deserta regio**. Post desertum vero **Androphagi** habitant, proprius populus, neutiquam Scythicus; supra hos vero iam terra **vere deserta** (ἐρῆμος ἤδη ἀληθέως) nec ullus hominum populus.

c) Trans Panticapen fluvium IV 19.

Ab oriente agricolarum Scytharum **Nomades Scythae** (Νομάδες Σκύθαι) degunt, estque arboribus nuda universa haec regio, excepta Hylaea. Nomades

autem hi orientem versus terram tenent per 14 dierum iter patentem ad Gerrhum usque fluvium.

d) Trans Gerrhum IV 20. 3.

Regii Scythae. Regia Scythia. τὰ καλεύμενα Βασιλήϊα καὶ Σκύθαι οἱ ἄριστοί τε καὶ πλεῖστοι. Pertinent hi meridiem versus ad Tauricam, orientem versus ad fossam quam caecorum filii a Tauricis montibus usque ad Maeotin paludem duxerunt, et ad emporium Maeotidis quod Cremni (Κρημνοί) vocatur; partim etiam ad Tanain flumen pertinent. Ceterum Regios Scythas eosdem esse atque liberos Scythas constat ex IV c. 110. Quae supra regios Scythas ad septentrionem vergunt, ea Melanchlaeni tenent, diversae stirpis populus, non Scythicus. Super eos vero Paludes sunt et terrae ab hominibus vacuae (λίμναι καὶ ἔρημος ἀνθρώπων).

Consanguinei et finitumi populi Scythiae.

Ex occidente orientem versus primi sunt: Agathyrsi (Ἀγάθυρσοι) IV 104. 49. Ex his influit Maris fluvius in Istrum, et videntur esse Thracibus consanguinei, quod institutis ad Thraces accedunt. Sequuntur Neuri (Νευροί) IV 105. 51. qui Scythicis utuntur institutis: Tyras fluvius apud eos incipit ex magna lacu, qui in confinibus est Neuridis et Scythicae terrae; Androphagi (Ἀνδροφάγοι) IV 106. nomades sunt: vestem portant Scythicae similem, lingua vero utuntur propria, soli autem ex illis populis humana carne vescuntur; Melanchlaeni (Μελάγχλαινοι) IV 107. vestimenta nigra gestant, a quibus nomen eis impositum, institutis utuntur Scythicis: Hecat. fr. 154. v. IV 20. 21. 101.

Budini (Βουδῖνοι) IV 108 magnus populus et numerosus, glauci admodum et rubicundi. »Urbem hi in sua ditione conditam habent ligneam: **Gelonus** (Γελωνός) oppido nomen est: cuius muri latus quodque 30 stadia in longitudinem patet; altus vero murus totusque ligneus; aedes item et templa lignea sunt. Sunt enim ibi Graecorum deorum templa, Graeco more instructa imaginibus et aris et delubris ligneis. Iidem Baccho triennalia festa agunt et Bacchanalia celebrant. Sunt enim Geloni (Γελωνοί) origine Graeci: qui ex emporiis pulsi, in Budinos habitatum concesserunt: linguaque utuntur partim Scythica, partim vero Graeca, Budini vero IV 109. 121. nec eadem lingua atque Geloni utuntur, nec eadem utrisque vitae ratio est. Budini enim, indigena gens **nomades** sunt, solique hi ex omnibus istarum regionum incolis pediculos comedunt. Geloni vero terram colunt, panem comedunt, hortos habent; nihil istis nec forma similes nec colore. Veruntamen a Graecis Budini etiam Geloni nominantur, parum recte id quidem. Est autem universa illorum terra sylvis frequens, omni genere arborum refertis. In densissima sylva lacus est ingens et altus, et circumcirca palus arundine frequens.« **Budini vero super Sauromatas habitant trans Tanain fluvium.** Quae omnia ex Herodoto excerpta hoc loco posui, ut illa opinio Budinos esse in Polonia quaerendos ex ipsis verbis absurda appareat.

Meridionales partes trans Tanain fluvium incolunt **Sauromatae** Σαυρόμαται, Σαυρομάτις χώρη IV 21, qui ab intimo Maeotidis paludis recessu initium capientes, tenent septentrionem versus usque ad Budinos terram in **quindecim** dierum iter patentem, arboribus

omnibus, tam cultis quam agrestibus, nudam. Sauromatae sunt Scythicus populus et sermone utuntur Scythico IV 117, mixti, ut perhibentur, cum Amazonibus (IV 110—117) quae iis Scythis qui commigrassent trans Tanain fluvium, nupsissent. Budinos vero et Sauromatas alio nomine coniunctos Maeotas appellatos esse constat c. 123. l. IV.

Super Budinos septentrionem versus primo desertum est (ἐρῆμος) per septem dierum iter. Post desertum vero magis orientem versus Thyssagetae (Θυσσαγέται) habitant, numerosa et propria gens, venatione victitans IV 22, quorum ex terra quattuor exeunt magna flumina, quae postquam per Maeotas fluxere in Maeotin paludem sese exonerant IV 123: nomina horum fluminum sunt Lycus, Oarus, Tanais, Syrgis (s. Hyrgis IV 57). Thyssagetis contigui eodem in tractu habitant qui Iyrcae (Ἰύρκαι) vocantur. Supra hos rursus orientem spectantes habitant alii Scythae, qui ab regiis Scythis defecerunt, et haec in loca migrarunt: Σκύθαι ἀποστάντες, IV 22.

Ad horum usque Scytharum regionem univera quam descripsimus terra plana est et humilis, inde vero petrosa et aspera (λιθώδης καὶ τρηχέη χώρη). Peragrato autem huius asperae terrae longo tractu, radices altorum montium habitant Argippaei (Ἀργιππαῖοι), qui inde a nativitate calvi sunt homines: IV 23. etc. Ad hos usque cognita terra est; tunc praealti praeruptique montes quos nemo transcendit praecludunt iter. IV 25. Narrant autem Argippaei habitari illos montes ab hominibus capripedibus, tum ultra hos degere alios homines, qui per sex menses dormiant. Hoc ipse

Herodotus non credit, satis autem ei cognitum est, regionem Argippaeis ab oriente sitam habitare Issedones (Ἰσσηδόνες) IV 25. Quae vero supra hanc ad septentrionem vergunt, cognita nullo modo sunt Herodoto, nec Argippaeis nec Issedonibus. Issedones autem rettulit noster tradidisse, supra sese ipsos habitare homines unoculos et gryphes auri custodes, et fabulam repetiisse Scythas et Graecos: Populum vero ab his Scythico nomine esse appellatum Arimaspos (ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν).

Hyperboreos autem Her. non quidem plane negat, nec tamen persuasum ei est de existentia huius populi, quod nunquam audiverit de Hypernotiis hominibus IV 36: εἰ δέ εἰσι τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ Ὑπερνότιοι ἄλλοι. Attamen mihi quidem non delineandi videntur, quod hoc ironice esse dictum apparet.

Trans Maeotin paludem e regione Tauricae ad Bosporum Cimmerium est Sindica. Sindi. Σινδοί IV 28 etc. v. supr. de Bosp. Cimm.

Praetermisimus adhuc populum trans Caspium mare incolentem, quem Herod. nominat et ex parte describit I 201. seq., Massagetas (Μασσαγέται). Populus hic et magnus dicitur esse et validus, habitans orientem versus trans Araxen fluvium ex adverso Issedonum c. 201 et tenet immensae planitiei a Caspio mari orientem versus sitae haud minimam partem, c. 204. Dicit etiam noster: Nonnullos, Scythicum hunc populum esse, narrare. De institutis et moribus Massagetarum v. I. 215. 216.

Caucasii populi. v. I 203. 204. Caucasus

mons (ὁ Καύκασος) populos multos et multiplicis generis in se comprehendit. Haec sunt quae ad nos spectantia noster rettulit. De institutis eorum v. l. c.

V.

ASIA HERODOTEA.

I. Septentrionalis ora.

Asia minor.

Patriam filius optimus Herodotus ita percognitam habuit, ut eius descriptio huius terrae cum quovis Graeco auctore comparari possit. Non autem possumus nostra tabula minus spatium spectanti omnia urbium nomina complecti, quare nihil nisi populos ipsos cum cit. loc. repetere volumus.

Aëolensium quinque urbes in Lesbo (Λέσβος) insula tetigit noster I 151, ubi Arisbam (Ἀρίσβα), olim sextum oppidum, a Methymnaeis in servitutem esse redactam adiecit. In Tenedo (Τένεδος) una Aeolensium civitas est, itemque in Centum Insulis (αἱ Ἑκατὸν νῆσοι) una. Aeolides civitates in continente sitae I 149 enumerantur Cyme, Larissae, Neotichus, Temnus, Cilla, Notium, Aegiroëssa, Pitane, Aegacae, Myrina, Grynea (Κύμη ἡ Φρικωνὶς καλεομένη, Λήρισσαι, Νέον τεῖχος, Τῆμνος, Κίλλα, Νότιον, Αἰγιρόεσσα, Πιτάνη, Αἰγαῖαι, Μύρινα, Γρύνεια); una eis adempta est ab Ionibus, Smyrna (Σμύρνη).

Ionum civitates sunt Miletus (Μίλητος), prima a meridie, Myus (Μυοῦς), Priene (Πριήνη): hae tres sitae sunt in Caria; Ephesus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenae, Phocaea (Ἔφεσος, Κολοφών,

Κλαζομεναὶ, Φώκαια) in Lydia; supersunt tres Ionicae, quarum duae insulas incolunt, Samum et Chium (Σάμος. Χίος), tertia in continente sita est, Erythrae (Ἐρυθραί) I 142; Panionium autem est sacer locus Mycalae (Μυκάλη), quae est promontorium continentis occidentem versus contra Samum porrectum I 148.

Doriensium civitates (Pentapolis, olim Hexapolis) I 144. 174. sunt in Rhodo insula Lindus, Ialyssus, Camirus (Λίνδος, Ἰήλυσσος, Κάμειρος); deinde Cos (Κῶς) et in Caria Cnidus (Κνίδος): sexta civitas Halicarnassus (Ἁλικαρνησσός) a ceteris communione templi Triopici (Τριοπικὸν ἱρόν) apud Cnidum exclusa est.

De Hellesponticis v. IV 85 seq. V 1. 26. 117. VI 33. VII 33. seq. 96.

Ceteri Asiae minoris populi intra Halyn fluvium incolentes: Lydi (Λυδοί); Maeones (Μηΐονες) I 7—94. V 49. 101. III 90. V 52. VII 74; Mysi (Μυσοί) I 28. VII 42—44. 74 (οὗτοι δέ εἰσι Λυδῶν ἄποικοι, ἀπ' Οὐλύμπου δὲ οὔρεος καλέονται Οὐλυμπιηνοί) III 90; Magnetes (Μάγνητες) III 90; Thraces Asiatici, tum Thyni, tum Bithyni (Θρήϊκες οἱ Θυνοί τε καὶ Βιθυνοί) I 28. VII 75. (οὗτοι δὲ διαβάντες μὲν ἐς τὴν Ἀσίην ἐκλήθησαν Βιθυνοί· τὸ δὲ πρότερον ἐκαλέοντο, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, Στρυμόνιοι, οἰκέοντες ἐπὶ Στρυμόνι· ἐξαναστῆναι δέ φασι ἐξ ἠθέων ὑπὸ Τευκρῶν τε καὶ Μυσῶν) III 90; Chalybes (Χάλυβες) I 28; Mariandyni (Μαριανδυνοί) I 28. III 90. VII 72; Paphlagones (Παφλαγόνες) I 28. III 90. VII 72. I 72; Phryges (Briges) (Φρύγες) I 28. 72. II 2. III 90. V 52. 49. VI 45. VII 26. 29. 73. 185. VIII 138; Cares (Κᾶρες) I 28. 171. (Leleges III 90.); Caunii I 172 (οἱ δὲ Καύνιοι αὐτόχθονες, δοκέειν ἐμοὶ, εἰσί I 172 Pedasenses (Πηδασέες) mediterranea

loca supra Halicarnassum habitantes, I 175. 176; Lycii (Λύκιοι) (Milyae Milyadem incolentes, olim Solymi nominati, Termilae, Xanthii) III 90. I 173. 176. VII 92; Pamphyli (Πάμφυλοι) I 28, III 90. VII 92; Cilices (Κίλικες) I 28. III 90. V 52. 49. VII 77. 91; Lasonii (Λασόνιοι) III 90. v. VII 77. (Καβηλέες δὲ οἱ Μηΐονες Λασόνιοι δὲ καλεόμενοι); Cabalii (Καβάλιοι) III 90. v. Hec. fr. ed. Clausen ind. Hygennenses (Ὑγεννέες) III 90. gens incognita, v. Valkenaer ad l. III 90.

Populi trans Halyn in hac septentrionali ora incolentes.

Ligyes (Λίγυες) VII 72. gens incognita.

Cappadocae Syrii ex adverso Paphlagonibus v. antec.

Armenii (Ἀρμένιοι) V 52. I 180. terram quattuor fluviorum (v. antec.) incolunt supra Assyrios, hi igitur faciunt meridionales fines I 194; ab occidente sita est Cilicia, ubi limites facit Euphrates; e septentrione et oriente Matieni porriguntur V 52. Mansiones sunt in Armenia diversoriorum quindecim et parasangae quinquaginta sex cum dimidia, estque in his etiam custodiae statio; ex Armenia ubi in Matienen regionem transieris stationes sunt quattuor.

Matieni (Ματιηνοί) terminantur a Phrygibus in occidua parte apud Halyn fluvium, I 72, et ab Armeniis e parte meridionali V 49. V 52. In huius terrae montibus Gyndes et Araxes fluvii habent fontes I 189. 202. Matieni vero cum Saspiribus et Alarodiis praefecturam faciunt decimam octavam III 94. Stationes undecim,

parasangae vero quadraginta duae cum dimidia sunt usque ad Choaspem fluvium V 52.

Macrones et Syrii, qui circa Thermodontem et Parthenium fluvium habitant, finitumi sunt. II 104. et v. Hecat. ed. Clausen. fr. 191: Μάκρωνες οἱ νῦν Σαννοί. Strab. XII p. 825. Xenoph. Anab. IV 8. 1. V 5. 18. VII 8. 25. Arrhian. Peripl. Pont. Eux. p. 11 med.

Tibareni et Mossynoeci (Τιβαρηνοί. Μοσσύνοικοι). Sedes eorum non describuntur ab Herodoto, sed innuuntur in fr. Hecat. et Scylac. ed. Clausen. 86: Μετὰ δὲ Μοσσυνοὺς ἔθνος ἐστὶ Τιβαρηνοί, et Mossynoeci: Μετὰ δὲ Μακροκεφάλους (apud quos urbs Trapezus Graeca) Μοσσύνοικοι καὶ Ζεφύριος λιμὴν, Χωράδες πόλις Ἑλληνὶς, Ἄρεως νῆσος. Οὗτοι ὄρη κατοικοῦσιν. Hec. 193. Χοίραδες πόλις Μοσσυνοίκων. Τιβάροισι δὲ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα Μοσσύνοικοι ὁμουρέουσιν, ἐν δ'αὐτοῖσι Χοίραδες πόλις. v. Xenoph. Anab. V 4. 2. 5. 1. VII 8. 23. Apollon. II 379. 1016. Pomp. Mel. I 20. Tibarenorum finitumi a parte australi sunt Leucosyri, ab occidentali Chalybes. Claus. Hecat. p. 100.

Moschi VII 78 Μόσχοι. Tibareni et Macrones et Mossynoeci militabant similiter atque Moschi armati. De sedibus v. Hecat. 188: Μόσχοι Κόλχων ἔθνος προσεχὲς τοῖς Ματιηνοῖς. Strab. XI p. 760. sqq.

Mares. Μάρες. Cum Colchis coniunguntur, VII 79. v. Hecat. 192: Μάρες, ἔθνος προσεχὲς τοῖς Μοσσυνοίκοις.

Omnes hi, qui a Macronibus usque enumeratae sunt, in praefectura Persarum (satrapia) decima nona fuerunt III 94.

II. Asiae Centrum.

Colchi (Κόλχοι) Colchis terra (Κολχίς) sita est ad Phasin fluvium in Asia (Uckert eam posuit in Europa) III 97. I 104. Est autem a Maeotide palude ad Phasin fluvium et Colchos expedito viatori iter triginta dierum; e Colchis vero non ita longo itinere pervenire potest in Mediam, sed unus duntaxat interiectus est populus Saspires, quos ubi transieris, continuo Mediam intras IV 37; supra Saspires igitur Colchi ad Pontum (boreale mare) pertinent. E septentrione alii sunt fines I 104, 203. 204, Caucasus mons a Caspio mari occidentem versus tendens, montium omnium et amplissimus et altissimus, et Phasis fluvius. v. Hecat. fr. 185. 188. De origine Colchorum v. II 104.

Saspires (Σάσπειρες) inter Mediam et Colchidem interiecti. I 104. IV 37. 40. III 94. VII 79. cum Alarodiis et Matienis unam praefecturam efficiebant.

Alarodii (Ἀλαρόδιοι) cum Saspiribus et Matienis coniuncti nominantur III 94. VII 79.

Medi (Μῆδοι). Media (ἡ Μηδικὴ χώρη) est valde montosa et silvosa in tractu ad Saspires tendente, reliqua vero plana est omnis I 110. E septentrione terminant eam Saspires, e meridie Persae, IV 37. etc. Gentes Medorum sunt sex: I 101, Busae, Paretaceni, Struchates, Arizanti, Budii, Magi (Βοῦσαι, Παρητακηνοὶ, Στρούχατες, Ἀριζαντοὶ, Βούδιοι, Μάγοι); caput vero est Ecbatana (Ἀγβάτανα) I 98: »Rex Deioces arcem extruxit amplam validamque, hanc quae nunc Ἀγβάτανα vocatur, ita ut alius moenium orbis alio esset circumdatus; et sic instituta erat haec arx, ut alius moenium or-

bis alio nonnisi propugnaculis esset excelsior. Orbes universi autem sunt septem, quorum in postremo regia est et thesauri. Qui autem murus maximum conficit orbem, is Athenarum ambitum amplitudine aequat. I 99. Tum vero reliqua arce extructa Deioces populum circumcirca arcem habitare iussit.« v. Hecat. 171. Medos autem antiquo tempore nominatos fuisse Arios Herodoto non fuit ignotum, v. VII 62. et egregiam notam ad h. l. ap. Schoell. interpr. Her.

Cissia terra (Κισσίη χώρη), finituma Medis vel potius in Media ipsa, terminatur ex occidua parte Matiena, habet autem fluvium Choaspen et Susa (Σοῦσα) urbem, quo usque ex Matiena 11 stationes, parasangae 42 cum dimidia sunt. V 52. Cissii (Κίσσιοι) militantes eodem cultu fere utebantur quo Persae et Medi VII 62.

Persae (Πέρσαι). Olim a Graecis Cepheues (Κηφῆνες) nominati sunt; a se ipsis vero et a finitumis Artaei (Ἀρταῖοι) VII 61. Persarum sedes ad australe mare pertinent, quod Erythraeum vocatur: supra eos septentrionem versus Medi. IV 37. Sunt autem Persarum plura genera: I 125. prima, e quibus alia omnia pendent, Pasargadae, Maraphii, Maspii (Πασαργάδαι, Μαράφιοι, Μάσπιοι); alii vero Persae hi sunt: Panthialaei, Derusiaei, Germanii (Πανθιαλαῖοι, Δηρουσιαῖοι, Γερμάνιοι) qui omnes aratores sunt; reliqui nomades: Dai, Mardi, Dropici, Sagartii (Δάοι, Μάρδοι, Δρόπικοι, Σαγάρτιοι). Persis autem nominatur sedes propria Persarum v. III 70; de imperio eorum III 97.

III. Asiae ultra centrum pars.

Hyrcanii (Ὑρκάνιοι) VII 62. III 117. Est in Asia

campus undique monte clausus, montis autem quinque sunt divortia. Hic campus olim Chorasmiorum erat, estque in confinibus ipsorum Chorasmiorum, Hyrcaniorum, Parthorum, Sarangarum, Thamanaeorum. — Ex monte campum claudente profluit ingens fluvius, cui nomen Aces. Apparent igitur Hyrcanii in oriente Caspii maris. v. et Chorasm. Parth. Sarang. et Thaman. et Hecat. fr. 172 de mari Hyrcano.

Bactriana gens (τὸ Βάκτριον ἔθνος). Bactria terra (ἡ γῆ ἡ Βακτρίη) I 153. III 92. A Bactrianis (Βάκτριοι) ad Aeglos usque duodecima praefectura; hi tamen Aegli qui fuerint ne coniectura quidem assequi licet; quare fines terminare non possumus v. Frömmichen comment. de difficilioribus Asiae ap. Her. Schweighäuser. I 176. In regione autem Bactriana fuisse Barcam (Βάρκη) vicum a Barcaeis captivis habitatum, addit Herodotus IV 204 et Bactrios militantes cultu capitis usos esse simili fere Medico. VII 62.

Sacae (Σάκαι) VII 64. Scythica gens in Asia; hos quum Scythae essent Amyrgii, Sacas vocabant Persae, qui omnes Scythas Sacas nominant. Cum Bactrianis habebant eundem belli ducem, et alias cum iis nominantur, I 153; sunt autem in decima quinta praefectura cum Caspiis III 93.

Caspii (Κάσπιοι) III 92. 93. VII 67. cum Pausicis, Pantimathis et Daritis in undecima praefectura nominantur, sed quaeritur ubi incolant. Eorum fit mentio III 92 post Paricanios et Orthocorybantios in satrapia decima, VII 86 cum Paricaniis, 68 cum Utiis et Mycis memorati et III 92. 93. VII 86. bis, ita ut plane ambiguum sit, utrum duo sint populi an lectiones sint corru-

E nomine quidem nobis verisimile fit sedes eorum

in australi quadam regione ad mare Caspium fuisse. De Caspiis portis v. Hecat. 170.

Pausicae (Παυσίκαι) vel, quod Frömmichen et Vossius ad Pomp. Melam. III 5 volunt, Paesicae (Παισίκαι), apud Ptolem. in tabula Sogdiana occurrunt, quare hi et Daritae (Δαρεῖται) (v. Schweigh. Her. I. p. 180. not.) et Pantimathi, (Παντίμαθοι), qui nullo alio loco memorantur, finitumi fuisse Caspiis a meridie videntur.

In sexta decima praefectura incolunt: Arei (Ἄρειοι) III 93. et consanguinei Medorum Bactriorumque videntur VII 66; deinde Parthi, Chorasmii, Sogdi (Πάρθοι, Χοράσμιοι, Σόγδοι) coniuncti nominantur VII 66; Parthi vero et Chorasmii etiam circa campum monte clausum illum e quo profluit Aces fl. incolunt. De Chorasmiis v. Hecat. 173: Χορασμίη πόλις πρὸς ἕω Πάρθων — Πάρθων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα Χοράσμιοι οἰκοῦσι.

Gandarii, Dadicae, Sattagydae, Aparytae. (Γανδάριοι, Δαδίκαι, Σατταγύδαι, Ἀπαρύται) III 91. VII 66. Quattuor hi faciunt septimam praefecturam; omnes autem eadem, qua Bactrii, utebantur armatura. (v. Hecat. Clausen fr. 178. Γάνδαρα Ἰνδῶν ἔθνος. ap. St. B. Ἑκ. Ἀσ. λέγονται καὶ Γανδάριοι παρ' αὐτῷ καὶ Γανδαρικὴ ἡ χώρα. — Γάνδροι ἔθνος Ἰνδῶν — Ἑκ. δὲ Γανδάρας αὐτοὺς καλεῖ. v. etiam Ptol. VI 1; videntur Indicae nationes fuisse. Quae autem hanc opinionem magis confirmant, statim adduntur, etenim nominatur ab Hecataeo fr. 180. Κασκάκυρος (Κασκάτυρος ap. Her., v. Pactyicam) πόλις Γανδαρική, quam sitam apud terram Pactyicam dicit Herod. (nullo modo autem, quod quidem velit Clausen l. c. ad occidentalem Indi fluminis ripam.)

Sagartii (Σαγάρτιοι) I 125. inter Persas Nomades memorantur VII 86. Her. appellat eos gentem sermone Persicam, cultu (σκευῇ) tamen inter Persicum et Pactyicum; III 93: sunt in quarta decima praefectura cum Sarangis, Thamanaeis, Utiis, Mycis et in maris Erythraei insulas relegatis (Ἀνασπάστοι). Quibus locis verisimile fit inter Mediam Pactyicamque esse quaerendas eorum sedes ad mare Caspium, ubi a Stephano Byzant. collocantur.

Sarangae, Thamanaei, Utii, Myci, (Σαράγγαι, Σαραγγεῖς, Σαραγγαῖοι· Θαμάνιοι, Θωμάντιοι, Θαμαναῖοι· Οὔτιοι· Μύκοι). Sarangae III 117 populis adnumerati qui circa Acis fluvii campum incolunt et III 93 in quarta decima praefectura; Thamanaei III 93. 117. etiam memorati incolentes circa campum illum et in quarta decima praefectura. Utii et Myci III 93. in eadem praefectura; VII c. 68 eodem modo armati sunt quo Pactyes, quare iam transgrediendum nobis est et respiciendum ad populos illos inter Pactyicam et Medos Persasque incolentes, (quod Steph. Byzant. ex Hecat. affert de Mycis v. Clausen. ed. Hec. fr. 183: nullius est momenti ad delineandas sedes, recte autem Clausen eos collocat ad mare Erythraeum. Μυκοί ἔθνος περὶ οὗ Ἑκ. ἐν Ἀσίᾳ· ἐκ Μυκῶν εἰς Ἀράξην ποταμόν.)

Paricanii et Orthocorybantii. (Παρικάνιοι, Ὀρθοκορυβάντιοι), III 92. in decima praefectura nominantur cum Medis; deinde Paricanii III 94. cum Aethiopibus Asiam incolentibus memorantur in septima decima praefectura; sunt autem armati eodem modo quo Pactyes, equites et pedites, VII 87; constat mihi quidem, Paricanios non fuisse duo populos diversos, quod qui-

dem multi putaverunt, sed unam gentem in duas satrapias divisam. Nam cur non pertinere possunt et ad fines Medorum et ad Aethiopes Asiam incolentes, quamvis sint una gens? quod vero armatura utebantur eadem qua Partyes, adnumeremus eos oportet stirpi Indicae vel Pactyicae. Παρικάνη πόλις nominatur ab Hecat. 180 Περσική, ἐν δ᾽αὐτοῖσι πόλις Παρικάνη οὔνομα.

Pactyica regio. Pactyes. (ἡ Πακτυϊκὴ γῆ, Πάκτυες). Habitare eos inter Indos boreales et australes liquet e III 102. propriam autem armaturam habebant; v. et. VII 67. ubi post Sarangos et ante Utios, Mycos, Paricaniosque memorati sunt; ad Indi autem fluvii ripam post Caspatyrum urbem sedes habuisse Pactyes apparet e. l. III 102. IV 44. Quare verisimile fit quod suspicatus est Heeren (de Graecorum Indiae notitia p. 128 etc.) »Caspatyrum esse Kaschmir«; in his igitur regionibus ad orientem versus nobis quaerendi sunt Pactyes.

Indica terra. Indi cum fl. Indo. (ἡ Ἰνδικὴ Ἰνδοί) III 94. Indorum populus longe frequentissimus omnium quos novimus hominum est, in vicesima praefectura. Ab una parte orientem versus III 106. 98. extrema est regionum habitatarum Indica, quare »ardentissimus his hominibus sol est tempore matutino, non, ut aliis hominibus, media die, sed ab eo tempore quo ad aliquam altitudinem in coelo pervenit usque dum tempus est a foro discedendi. Per id tempus multo magis ibi ardet sol, quam in Graecia medio ipso die, ita ut dicantur illi tunc aqua madere. Media vero die similiter fere sol ardet alios homines atque Indos (III 104). Ut extremae terrarum omnes partes, ita Indi res praestantissimas habent (III 106). Sunt autem plures Indorum gentes

diversis linguis utentes; et eorum alii nomades sunt, alii non sunt; sunt etiam, qui in paludibus habitant fluminis, vescunturque crudis piscibus (III 98). Alii ex Indis, his ab oriente habitantes, nomades sunt, cruda carne vescentes, qui Padaei (Παδαῖοι) vocantur (III 99). Aliorum Indorum alius mos est huiusmodi: nec occidunt animatum quidquam nec sementem faciunt nec domos solent possidere: herbis vescuntur (III 100). Hi Indi longius a Persis habitant meridiem versus, neque unquam paruerunt Darii imperio (III 101). Alii vero Indi Caspatyro urbi et Pactyicae regioni sunt finitumi, a septentrione reliquorum Indorum habitantes, qui vitae ratione utuntur Bactrianis simili. Hi sunt Indorum bellicosissimi, iidemque qui ad conquirendum aurum proficiscuntur. Est enim ibi deserta regio propter sabulum (Indis orientem versus III 98), et in hoc nimirum deserto atque sabulo sunt formicae maiores vulpibus etc. c. 102. Calantiae Indi, plane ambiguum est ubi ponendi sint, quod Herod. eos tantum bis nominat, non autem sedes innuit III 38, 97; videntur forte collocandi in iis orientis regionibus, ubi Indi qui cruda carne vescuntur habitant, quoniam Her. morem eorum corpora parentum comedendi affert III 38. Hecataeus quoque memorat eos, v. fragm. 177. Καλατίαι ἔθνος Ἰνδικόν. Ceterum monendum videtur, in Herodoto duas nominis formas legi Ἰνδοὶ οἱ καλεόμενοι Καλατίαι et οἱ Καλαντίαι Ινδοί.

Orientales Aethiopes, Asiam incolentes, (Αἰθίοπες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης) bis nominantur ab Herod. III 94. cum Paricaniis in praefectura septima decima et VII 70 (comp. Homeri Αἰθίοπες οἱ διχθὰ δεδαίαται) ubi cum In-

dis in agmine collocati referuntur, et ab Aethiopibus Libyam incolentibus distinguuntur: »Orientales Aethiopes rectos habent capillos, Libyci vero crispos maxime omnium hominum. Asiatici hi Aethiopes pari modo fere atque Indi erant instructi, caput autem tectum habebant pelle equina de capite equi detracta etc.«

Insulani populi (Τὰ δὲ νησιωτικὰ ἔθνεα τὰ ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης) VII 80 Anaspasti (transportati) vocantur τοὺς ἀνασπάστους καλεομένους κατοικίζει βασιλεύς.

IV. Asiae ora meridionalis.

Altera ora (IV 39.) a Perside incipiens in Erythraeum mare porrigitur, estque Persica, tum hanc excipiens Assyriaca et post Assyriacam Arabica. Iam a Perside usque ad Phoenicen lata et ampla regio est; a Phoenice vero haec ora per mare mediterraneum secundum Syriam Palaestinam ad Aegyptum porrigitur, ubi desinit, hancque oram tres tantum incolunt populi: Assyrii, Syrii (Palaestini et Phonices) atque Arabes. VII 89. II 116.

Assyrii (Ἀσσύριοι) I 178. Hi a Graecis Syrii vocati, a barbaris vero Assyrii; in exercitu mixti cum eisdem erant Chaldaei (Χαλδαῖοι) VII 63. Assyria (Ἀσσυρίη) terminatur e septentrione Armenia I 194; tangit orientem versus Persas, in occidente incolunt Arabes et in meridie situm est Erythraeum mare IV 39. Sunt autem Assyriae quum aliae urbes insignes multae tum clarissima omnium et munitissima, quae post Ninum eversam regia sedes erat, Babylon; quae describitur I 178 sqq. III 155—159. »Tota Babylonica terra (Βαβυλών) fossis est discissa, quarum fossarum maxima

orienti hiberno obversa, navibus traiicitur, influit autem ex Euphrate in alium fluvium Tigrin, ad quem Ninus urbs (ἡ Νίνος) aedificata erat.« etc. (II 150 hi Assyrii, qui Ninum incolebant a ceteris seiunguntur. I 102. 106.) Fluvii Assyriorum sunt Euphrates, Gyndes, Tigris. v. antec. Est autem tota Assyria in praefectura nona Persarum quae est omnium amplissima III 92, I. 192.

Arabii, Arabica ora, Arabia. οἱ Ἀράβιοι, Ἀραβίη. III 5. 6. 8. 88. 97. 107 sqq. IV 39. VII 69. 87. Arabia terminatur e septentrione (I. 5) Palaestina, nam emporia a Cadyti ad mare sita usque ad Ienysum oppidum sunt ditionis Arabici regis, inde patet aditus in Aegyptum; ex hac regione porriguntur Arabii usque ad extremas terrarum partes australes III 107, ubi situm est mare Erythraeum; ex oriente vero fines faciunt Assyrii. IV 39. (De Ienyso urbe ignota v. Frömmichen ap. Schw. Her. I. 169: III 9.) Flumen Arabiorum commemoratur magnum cui nomen Corys (Κόρυς), in Erythraeum mare se exonerans. »Ab hoc fluvio Arabiorum regem consutis bubulis aliisque coriis canalem duxisse aiunt ea longitudine ut ad aridum tractum (ἐς τὴν ἄνυδρον) pertineret. Est autem via ab illo fluvio in hunc aridum tractum duodecim dierum.« Haec deserta aquarum prorsus inops terra mihi videtur Petraea Arabia esse, quam Her. III 4. 5. describit regionem aqua carentem et ex parte cognovit.

Syria Palaestina (Παλαιστίνη Συρίη, Συρίη ἡ Παλαιστίνη καλευμένη, Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, Συρίη) I 105. II 11. 12. 104. 106. 158. 159. III 6. 3. 91. IV 39. VII 89. v. etiam Frömmichen de diffic. quibusdam Asiae apud Schweigh. I p. 163. Gens Syriorum divisa in

plures partes saepius invenitur apud Her., quare omnes Syrii cognomina acceperunt et Assyrii a Syriis distinguuntur, e. g. Syrii qui circa Thermodontem et Parthenium fluvium habitant II 104. οἱ δὲ Καππαδόκαι ὑπ' Ἑλλήνων Σύριοι ὀνομάζονται I 72. **Syrii Palaestini** a Phoenice usque ad fines Cadytis urbis habitant, a Cadyti in emporiis ad mare sitis usque ad Ienysum oppidum sunt Arabii, ab Ienyso rursus Syriorum ditio pertinet ad Serbonidum usque lacum iuxta quem Casius mons ad mare porrigitur; a Serbonide lacu iam Aegyptus est. III 5. Hinc fines Palaestinae apparent: Palaestinos, interiectis Arabiis divisos, a Phoenice ad Aegyptum usque porrigi liquet. Hic simul de **Phoenicibus** dicendum: quippe hi cum Palaestinis memorantur in Syria et in Palaestinâ habitantes II 116. ὁμουρέει γὰρ ἡ Συρίη Αἰγύπτῳ· οἱ δὲ Φοίνικες, τῶν ἐστὶ ἡ Σιδὼν, ἐν τῇ Συρίῃ οἰκέουσι, et VII 87. οἱ Φοίνικες οἰκέουσι τὰ παρὰ θάλασσαν· τῆς δὲ Συρίης τοῦτο τὸ χωρίον καὶ τὸ μέχρι Αἰγύπτου πᾶν Παλαιστίνη καλέεται. Quibus ex locis Herodotum Syriae oram ad mare sitam nominasse Palaestinam, distinxisse tamen Palaestinam a Phoenicibus ubi accuratius loqui visum esset necessarium, liquet. Terminum Phoenices a septentrione memorat Herodotus III 91: ἀπὸ δὲ Ποσιδηΐου πόλιος ἐπ' οὔροισι τοῖσι Κιλίκων τε καὶ Σύρων ἀρξάμενον. — De **Cypro**, quae cum Phoenice et Palaestina in eadem praefectura est, v. II 182. III 19. 91. V 49. 52. 104. 116. VII 90. — **Urbes Palaestinae** ab Herodoto memoratae sunt **Azotus** (Ἄζωτος) magna urbs Syriae II 157; **Ascalon** (τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Ἀσκάλωνι) I 105; **Cadytis** (Κάδυτις), urbs haud multo minor Sardibus, cum Frömmicheno Gaza mihi esse vide-

tur: v. eum acute de hac re disputantem ap. Schw. I 167, et Hecat. Claus. 261. Κάνυτις πόλις Συρίων μεγάλη· τὸ ἐθνικὸν Κανυτίτης. Magdolus vero (Μάγδολος), num Herodoto Palaestinae an Aegypti urbs vicusve fuerit, non semper in dubio manebit, quod quidem contendit Frömmichen, etiamsi nullo alio loco legitur huius urbis nomen nisi II 159: nimirum Hecataeus, qui Aegyptum visu cognoverat, eam Aepypti urbem memorat. v. fr. 282. Μαγδωλὸς πόλις Αἰγύπτου· τὸ ἐθνικὸν Μαγδωλίτης διὰ τὸν Αἰγύπτιον τύπον. Κανωβίτης, Διολκίτης, Πενταςχοινίτης. v. 2 Mos. 14. 2. Iam venimus ad Casium illum montem, qui in confinibus situs est Syriae et Aegypti, III 158. IV 41; itaque pergamus ad tertiam terrae partem.

VI.

LIBYA.

V. Joh. Fr. Hennecke egregiam Comment. de geographia Africae Herodoteae ap. Schweigh. Her. I p. 195.

Quaenam extensio Libyae ex op. Her. sit, quosque fines habeat praecipue e duob. loc. II 17. et IV 41 — 43 liquet. »Limitem vero, qui Asiam a Libya disterminet, rectam si sequamur rationem, nullum alium novimus nisi Aegyptiorum fines« et »Libya in altera orarum est, Libya enim iam ex Aegypto excipitur.« Ad Aegyptum quidem angusta haec ora est: nam ab hoc mari ad mare Erythraeum sunt centum milia orgyarum, quae mille admodum stadia conficiunt. Inde ab his vero angustiis spatiosa fit haec ora, quae Libya vocatur.« Libya est circumflua v. IV 42: et pertinet ex occidua

parte usque ad promontorium cui nomen est Soloeis. (Σολόεις) II 37, IV 42, 41 sqq.

E quibus locis apparet Aegyptum non adnumerasse Herodotum Libyae; affirmatur autem verbis IV 197; ubi Libyae nonnisi quattuor populi nominantur, duo indigenae: Libyes ad septentrionem, Aethiopes ad austrum; duo autem advenae: Phoenices et Graeci. Quare (e locis plur. et cit.) Aegyptus ex op. Her. pars Asiae videtur; non tamen refellit Graecos auctores Aegyptum inter Asiam et Libyam dividentes. Quae quidem divisio mihi ab Hecataeo iam facta videtur, quamvis verba hanc promentia in fragmentis non sint conservata; etenim magni ea momenti sunt, quod Hecat. ap. St. B. Aegypti urbes et in Libyae et in Asiae descriptione recenset. v. fr. ed. Clausen 271, 72, 75 et 273, 74. St. B. Ὀνειαβάτης πόλις Αἰγύπτου. Ἑκ. περιηγήσει Λιβύης sqq. 273. St. B. Κρῶς πόλις Αἰγύπτου. Ἑκ. περιηγήσει Ἀσίης. sqq.

Aegyptus. Aegyptii. (ἡ Αἴγυπτος· οἱ Αἰγύπτιοι)

»Si ea ratione utamur quam Graeci sequuntur, statuemus Aegyptum universam, initium sumentem a Catadupis et Elephantine oppido, in duas secari partes, et utrumque nomen participare, alteram enim eius partem Africae esse, alteram Asiae. Nilus enim postquam ad Catadupa Aegyptum primum intravit, mediam illam dividens fluit in mare.« II 17.

Extensio finesque et montes. III 158. III 26. II 6. 8. 9. 10. 11. 15. 17. 12. 28. 18. 19. 165. 34. »Sita est Aegyptus ex adverso maxime montanae Ciliciae« II 34. Longitudo secundum mare est sexaginta schoenorum (vel 3600 stadiorum) quatenus quidem

nos Aegyptum definimus ut a Plinthinete sinu pertineat usque ad Serbonidem lacum, ad quem Casius mons porrigitur« II 6. »Inde versus interiora usque Heliopolin in latitudinem patet Aegyptus: tota plana est, aquis irrigua, limosa; est autem iter a mari Heliopolin adscendenti mille quingentorum stadiorum II 7. »Ab Heliopoli superiora petenti angusta Aegyptus est: nam ab altera parte mons Arabiae (τῆς Ἀραβίης ὄρος) praetenditur, a septentrione versus meridiem et austrum excurrens, semper in altius tendens ad Erythraeum mare; quo in monte lapicidinae sunt, unde Memphin ducti sunt lapides ad extruendas pyramidas. Hoc loco desinens mons flectitur in mare. Qua vero est maxima eius longitudo, duorum mensium itineris esse accepi ab orienti versus occidentem. Haec igitur huius montis ratio est. Ab altera Aegypti parte, Libyam versus, alius mons praetenditur saxeus (τὸ Λιβυκὸν καλεόμενον ὄρος πέτρινον), in quo pyramides exstructae sunt, arena obvolutae, pari modo porrectus atque ea pars Arabici montis, quae ad meridiem tendit. Ab Heliopoli igitur non multum in latitudinem patet regio, quae Aegyptus esse censetur, sed ad quattuor dierum adverso flumine navigationem angusta Aegyptus est. Est autem regio inter duos quos dixi montes interjecta campestris, cuius latitudo, ubi minima, ducentorum admodum stadiorum esse, haud amplius, mihi visa est, ab Arabico monte ad Libycum; ex inde vero rursus fit latior Aegyptus. II 8. »Est vero Heliopoli Thebas navigauti iter novem dierum, stadia sunt autem quater mille octingenta et sexaginta: haec stadia si inter se componantur, quum latitudinem secundum mare porrectam iam supra dixerim

esse trium milium sexcentorum stadiorum, quaenam sit longitudo a mari versus mediterranea Thebas usque, nunc declarabo: est nempe stadiorum sexies mille centum et viginti. Thebis autem usque Elephantinen sunt mille et octingenta stadia II 9. Sunt igitur a mari usque ad Elephantinen 7920 stadia quae totius Aegypti efficiunt longitudinem. Fines autem Aegypti sunt a septentrione mons Casius ad lacum Serbonidem tendens et mare Aegyptium usque ad Plinthineten sinum; ex oriente montes Libyci, Libya ipsa (in cuius confinibus sitae sunt urbes Marea et Apis Aegypto adscriptae. II 18); a meridie Elephantine et ex parte Tachompso insula, II 29; ab occidente montes Arabici disterminant Aegyptum.

Partes et urbes Aegypti. Aegyptus pro soli natura flumine Nilo dividitur in Delta et eas partes quae Libyae et Asiae adiacent II 17. 15. 19. (εἰ δὲ τῷ ὑπ' Ἑλλήνων νενομισμένῳ χρησόμεθα, νομιοῦμεν Αἴγυπτον πᾶσαν ἀρξαμένην ἀπὸ Καταδούπων τε καὶ Ἐλεφαντίνης πόλιος δίχα διαιρέεσθαι καὶ ἀμφοτέρων τῶν ἐπωνυμιέων ἔχεσθαι· τὰ μὲν γὰρ αὐτῆς εἶναι τῆς Λιβύης, τὰ δὲ τῆς Ἀσίης. ὁ γὰρ δὴ Νεῖλος ἀρξάμενος ἐκ τῶν Καταδούπων ῥέει μέσην Αἴγυπτον σχίζων ἐς θάλασσαν c. 17). Distributio in νομοὺς commemoratur quidem saepius ab Her. II 164. 299. sed nominantur soli nomi Hermotybium et Calasirium (Καλασίριες καὶ Ἑρμοτύβιες) II 164 — 166. Hermotybium nomi sunt sex: Busirites, Saites, Chemmites, Papremites, insula Prosopitis, Natho ex dimidia parte (Βουσιρίτης, Σαΐτης, Χεμμίτης, Παπρημίτης, νῆσος ἡ Προσωπῖτις καλεομένη, Ναθὼ τὸ ἥμισυ), Calasirium duodecim: Thebaeus, Bubastites, Aphthites, Tanites, Mendesius, Seben-

nytes, Athribites, Pharbaethites, Thmuites, Onuphites, Anysius, Myecphorites (Θηβαῖος, Βουβαστίτης, Ἀφθίτης, Ταμίτης, Μενδήσιος, Σεβεννύτης, Ἀθριβίτης, Φαρβαιθίτης, Θμουΐτης, Ὀνουφίτης, Ἀνύσιος, Μυεκφορίτης). Omnes siti sunt in inferiore Aegypto.

I. Aegypti pars ad mare a Serbonide lacu et Casio monte usque ad Plinthineten sinum porrecta inter Nili ostia usque ad Heliopolin sita. In hac parte sunt urbes hae: 1) ab oriente Pelusiaci ostii: Magdolus (Μάγδολος) II 159. v. Hecat. supra laud.; Patumus (Πάτουμος ἡ Ἀραβίη πόλις h. e. ab oriente Pelusiaci sita, vid. Hennicke comment. p. 262) II 158; Buto (Βουτώ) 75; Erythra Bolus (ἡ Ἐρυθρὴ Βῶλος) II 3. (Heroopolis s. Baal Sephon) 2) inter ostia Pelusiacum et Sebennyticum: Thebaius nomus: minimum duae fuerunt Aegypti urbes Thebae, etenim Thebaeus nomus (ὁ Θηβαῖος) II 166. diversus est a Thebaico (ὁ Θηβαϊκός) II 91. 4; Papremis (Πάπρημις) in nomo Papremite II 59. 63. 71. 165: Anysis (Ἄνυσις), nomi Anysitae metropolis II 166. 137; Aphthites nomus II 166; Heliopolis (Ἡλιούπολις); huius nominis duae sunt urbes, sed altera tantum nominatur in Delta supremo sita inter o. Sebennyticum et Pelusiacum II 8. 9; Myecphorites nomus, qui nomus in insula est ex adverso Bubastis oppidi (ἀντίον Βουβάστιος πόλιος) II 166; Bubastis (Βούβαστις) II 59. 60. 67. 137. 158. 166; Ionum et Carum castra (τὰ τῶν Ἰώνων καὶ Καρῶν στρατόπεδα) II 154; Daphnae Pelusiacae (αἱ Δάφναι Πηλουσίαι) II 30. 107; Pelusium (Πηλούσιον) II 15. 141; Tanites nomus II 166; Natho II 165; Thmuites nomus II 166. 3) inter ostia Sebennyticum et Canobicum: *Persei specula* (ἡ Περσέως καλεομένη σκοπιὴ) II 15;

Naucratis (Ναύκρατις) Canobico opposita, II 97. 178; Sais (Σάϊς) metropolis Saitae nomi II 163. 169. 175; Siuph (Σιούφ) II 59. 62. 130; Buto (Βουτώ) II 155. 156 seq.; Chemmis (Χέμμις) II 156; Hecat. fr. ed. Clausen 284. St. B. Χέμμις.... ἔστι καὶ Χέμβις νῆσος, διὰ τοῦ β, ἐν Βουτοῖς περὶ τὸ ἱρὸν τῆς Λητοῦς ἔστι νῆσος Χέμβις οὔνομα, ἱρὴ τοῦ Ἀπόλλωνος. ἔστι δὲ ἡ νῆσος μεταρσίη καὶ περιπλεῖ καὶ κινέεται ἐπὶ τοῦ ὕδατος; Elbo insula (Ἐλβώ) II 140; Sebennytus (Σεβέννυτος, Σεβεννυτικὴ πόλις) II 166. 155; Onuphites nomus II 166; Busiris (Βούσιρις) in Busirite nomo II 166 seq. 59. in medio Delta sita est; Mendes (Μένδης) in Mendesio nomo, II 166. 42. 46; Athribites nomus II 166: Hecat. fr. 280 nominat Atharambiten nomum et Atharambam urbem (Ἀθαραμβίτης νομὸς καὶ Ἀθάραμβη πόλις); Prosopitis insula (ἡ Προσωπῖτις νῆσος) in Prosopite nomo; Atarbechis (Ἀταρβηχις) II 41; Pharbaethites nomus, II 166; 4) Ab occidente ostii Canobici: Cercasorus (Κερκασωρός), unde Nilus triplex initium capit, II 15. 17. 97; Momemphis (Μώμεμφις) II 163. 169; Archandropolis (Ἀρχανδρούπολις) II 98; Anthylla (Ἄνθυλλα) II 97. 98; Tarichiae Canobicae (αἱ Ταριχεῖαι Κανωβικαί) II 113; Herculis fanum (Ἡρακλέος ἱρόν) II 113; Canobus (Κάνωβος) (Abukir?) II 15; Apis (Ἆπις) et Marea (Μαρέη) II 18. 19. Sequitur Plinthinetes sinus (Πλινθινήτης κόλπος) II 6.

II. Aegyptus ab Heliopoli usque ad Thebas. Hic sitae sunt Memphis (Μέμφις) II 61. 97. 99. 101. 124. 153. 154. 158. 175. III 91; Moeris lacus (ἡ Μοίριος καλεομένη λίμνη) II 149. 150. III 91, apud quem Pyramides II 8. 101. 124 — 128. 134. 136. 148. 149;

Crocodilorum urbs (ἡ Κροκοδείλων καλεομένη πόλις) (Arsinoë) supra Moeridis lacum II 148; paullo autem supra Moeridis lacum ex adverso oppidi quod a Crocodilis nomen habet, aedificatus est Labyrinthus (Λαβύρινθος) II 148; Hermopolis (ἡ Ἑρμέω πόλις) II 67.

III. Aegyptus a Thebis usque ad Elephantinen et Oasis Samiorum. Chemmis urbs Thebaici nomi (Χέμμις) II 91. prope Neapolin, non confundenda cum insula supra commemorata; Neapolis (Νέη πόλις) II 91; Thebae (Θῆβαι) II 3. 9. 15. III 10; Syene (Συήνη) II 28. et Elephantine v. l. c. (Ἐλεφαντίνη) II 17. 28. 29. inter quas urbes montes Crophi et Mophi sitos esse ille grammatistes nugatorius II 28. tradidit. Oasis oppidum (ἡ Ὄασις πόλις) III 26, quod Samii qui de Aeschrionia tribu esse dicuntur incolunt absuntque a Thebis septem dierum iter per arenosa faciendum: nominatur autem ille locus Graeco sermone Beatorum insula (Μακάρων νῆσοι).

Ichthyophagi. (Ἰχθυοφάγοι).

Sedes eorum certae non sunt ex Her. III 19—22; sed verisimile fit quaerendas esse eas inter Elephantinen et mare Erythraeum.

Aethiopes Libyae.

οἱ δὲ ἐκ Λιβύης Αἰθίοπες VII 70. II 22.

Aethiopiae (ἡ Αἰθιοπίη χώρη) fines australes et occidentales parum certi inveniuntur III 114 » ubi meridiana coeli plaga versus occidentem solem inclinat, ibi protenditur Aethiopia, ab hac parte regionem terrarum extrema«; e septentrione disterminatur ab Ae-

gypto apud Elephantinen et Syenen; orientem versus Arabicus sinus et ex parte Erythraeum mare limites ponunt, III 17.

Singulae regiones Aethiopiae: Tachompso insula, II 29. »Ab Elephantine oppido superiora petenti acclivis locus est. Eo igitur loco navi utrinque veluti bove adligata oportet iter facere. — Est autem ille locus quattuor dierum navigatio; et tortuosus ibi Nilus est, quemadmodum Maeander; schoeni autem sunt duodecim (vel 720 stad.) per quos isto modo navigari oportet, inde in planum pervenis campum, in quo insulam Nilus circumfluit, cui nomen est Tachompso (Ταχομψώ). Iam regionem supra Elephantinen sitam et insulae quam dixi dimidiam partem Aethiopes incolunt, alteram insulae partem Aegyptii. Insulae contiguus est lacus ingens, circum quem Nomades incolunt Aethiopes: hunc lacum ubi pernavigaveris, rursus in alveum Nili pervenies, qui in hunc lacum perfluit. Inde progrediens secundum flumen iter facies quadraginta dierum (vel 8000 stad.): eminent enim ex Nilo scopuli acuti, frequentiaque saxa sunt, per quae navigare non licet. Hoc tractu intra quadraginta dies peragrato, rursus aliud navigium conscendes, et post dierum duodecim (vel 2160 stad.) navigationem pervenies ad oppidum cui nomen Meroe (Μερόη), quod oppidum dicitur esse metropolis reliquorum Aethiopum.« Ab Elephantine igitur usque ad Meroën iter conficiunt 10880 stadia. »In illo oppido ex diis omnibus unum Iovem colunt et Bacchum, estque ibi Iovis oraculum constitutum.« II 29. »Ab hoc oppido navi profectus, eodem temporis spatio quo ex Elephantine ad metro-

polim pervenisti Aethiopum, ad Automoles (Αὐτόμολοι) pervenies; his nomen est Asmach (Ἀσμάχ), quod vocabulum Graeco sermone significat: regi a sinistra manu stantes II 30. Quattuor mensium (112 dier.) computat noster navigationem viamque usque ad hanc regionem, qua Nilus extra Aegyptum cognitus est, II 31; quoniam vero addidit, fluere Nilum a vespera et solis occasu mediamque scindere Libyam, Uckert plane falso posuit Aethiopes Meroënque in meridionali regione; v. Niebuhr I. p. 144.

Macrobii Aethiopes (Μακρόβιοι Αἰθίοπες) III 20. 17. 114. incolunt usque ad mare australe in extrema terrarum parte a meridie occidentem versus. Hos autem esse Aethiopes qui Nysam incolunt, apparet e l. II c. 146: Νύσῃ ἡ ἱρῇ ἡ ὑπὲρ Αἰγύπτου ἐούσα ἐν τῇ Αἰθιοπίῃ, et III 97: Καμβύσης — — ἐπὶ τοὺς Μακροβίους Αἰθίοπας κατεστρέψατο· οἳ περί τε Νύσην τὴν ἱρὴν κατοίκηνται καὶ τῷ Διονύσῳ ἀνάγουσι τὰς ὁρτάς. »Hi Aethiopes et horum finitumi semine utuntur eodem quo Calantiae Indi, domos autem habent subterraneas.« Nominantur etiam IV 183: Troglodytae Aethiopes (Τρωγλοδύται Αἰθίοπες), quos cum Garamantibus cohaerere apparet ex ipso loco.

Libya ipsa.

Herodotus in historiis suis continuam Libya geographiam tradidit, IV 168—199; sed in describendis terris recta pergit ab oriente ad occidentem versus, quare quamvis non ignoraret a septentrione porrectam Carthaginis ditionem (Καρχηδών), tamen memoravit tantum eam attigitque situm I 165. 166. III 17. IV 195. seq.

VII 167, nec vero descripsit urbem regionemque ut sitam ultra eam quam ingressus est viam. Libya autem soli gentiumque natura omnino in tres inter se diversas partes dividitur II 32: 1) in oram maritimam (ἡ οἰκεομένη) ab Aegypto usque ad Soloentem promontorium; 2) in terram bestiis frequentem (ἡ θηριώδης) supra illam oram e meridie; 3) in desertam terram usque ad Nili occiduam partem, quam hodie videmus non esse verum Nilum, sed Nigrum fluvium; deinde sequuntur δένδρεα ἐν πεδίῳ πεφυκότα etc.

1) Desertum Libyae (Ἔρημος) IV 181. seq. Supra Libyam feris frequentem meridiem versus »supercilium est arenosum a Thebis Aegyptiis usque versus Herculeas pertinens columnas. In eo supercilio per decem fere dierum iter sunt in collibus frusta salis ingentibus grumis, et in cuiuslibet collis vertice e medio sale exilit aqua frigida ac dulcis: circaque illas aquas habitant extremi homines versus desertam Libyam ultra ferinam. Et primi quidem, a Thebis decem dierum itinere distantes, habitant Ammonii (Ἀμμώνιοι) 181. II 54. Post Ammonios, interiecto decem iterum dierum itinere, tumulus salis similis Ammonio, item aqua: nomen loci Augila (Αὔγιλα) est. Hic est locus quo proficisci consueverunt Nasamones palmulas collecturi c. 182. v. de errore Herod. Niebuhr Kl. Phil. und Hist. Schr. p. 147. Ab Augilis, rursus post decem dierum iter, alius est salis tumulus et aqua et frequentes palmae arbores frugiferae. Ibi habitant homines, quibus nomen Garamantes (Γαράμαντες), magnus admodum populus. Brevissima ab his via per desertum et regionem bestiarum

ad Lotophagos (v. infra) iter est triginta dierum. Terminantur autem Garamantes ex alia parte a Troglodytis Aethiopibus c. 183. Niebuhr p. 147. Post Garamantes interiecto iterum dierum decem itinere alius est salis tumulus; incolunt eum Atarantes (Ἀτάραντες). Deinde post aliorum decem dierum iter est salis tumulus, cui tumulo proximus est mons, cui nomen Atlas (Ἄτλας), angustus et circumcirca rotundus: idem ea perhibetur altitudine ut vertices eius conspici non possint: nunquam enim nubibus vacare nec aestate nec hieme; hunc montem coeli fulcrum esse aiunt indigenae. Ab hoc monte nomen invenere Atlantes (Ἄτλαντες) c. 184. Usque ad hunc montem tumulumque nomina potuit edere Her. nec vero ulterius, quamqnam »porrigitur idem supercilium usque ad Herculeas columnas atque etiam extra eas,« unde Libyam ex opin. eius minimum 10 dierum iter extra columnas Herculeas porrigi liquet. »Ultra istud vero supercilium versus meridiem et mediterranea Libyae deserta est terra et aquis, feris, pluvia, lignis vacua, omnique humore prorsus destituta c. 185. Tumuli illi igitur siti sunt inter Libyam feris frequentem et desertam ipsam.

2. Ora maritima Libyae.

α. Ab Aegypto usque ad Tritonidem lacum, qui facit magnam huius terrae gentiumque sectionem. Ab Aegypto occidentem versus primas sedes habent usque ad Tritonidem lacum, qui tractus humilis est et arenosus, Nomades IV 191.

Nomades Libyes. Adyrmachidae (Ἀδυρμαχίδαι), qui institutis quidem maximam partem utuntur

Aegyptiis, vestem vero gestant qualem et alii Libyes IV 168. Giligammae (Γιλιγάμμαι), terram incolentes occidentem versus usque ad Aphrodisiadem insulam (ἡ Ἀφροδισιὰς νῆσος) c. 169. In media hac regione ad oram sita est Platea insula (ἡ Πλατέα νῆσος), in quam Cyrenaei duxerant coloniam; in continente vero Menelaius portus (Μενελάϊος λιμὴν) et Aziris oppidum (Ἄζιρις), quod habitant Cyrenaei IV 158. 159. unde incipit silphium quod pertinet a Platea insula usque ad ostium Syrtis. c. 169. De Cyrenaicae regionis finibus ex Her. nihil constat, quamquam saepius commemorat terram ipsam, et fontem Thesten et regionem quandam cui Irasa nomen, et Azirin oppidum IV 157, quod amoenissimi colles utrimque includunt et ab altero latere amnis praeterfluit, et Iovis Lycaei collem (Διὸς Λυκαίου ὄχθον) IV. 203. 157. 158. 159. Giligammarum occidentem versus finitumi sunt Asbystae (Ἀσβύσται) IV 170. hi supra Cyrenen habitant, nec ad mare pertinent, oram enim maritimam Cyrenaei incolunt. Instituta pleraque aemulantur Cyrenaeorum. Asbystis ab occidente contermini sunt Auschisae (Αὐσχίσαι). Hi habitant supra Barcam IV 160. 171, pertinentes ad mare circa Euesperides, IV 171. 198, sed situs Barcae (ἡ Βάρκη), Euesperidum et Tauchirae urbis (οἱ Εὐεσπερίδες, Εὐεσπερῖται· Ταύχειρα πόλις) certius non definiuntur ab Herodoto quam his et sequentibus. v. Hecat. ed. Claus. fr. 300 Αὔσιγδα πόλις Λιβύης, Αὐσιγδοι. In media Auschisarum ditione habitant Cabales (Κάβαλες) IV 171, exiguus populus ad mare pertinens prope Taucheira oppidum ditionis Barcaeae. Auschisarum autem ab occidente finitumi

sunt Nasamones (Νασαμῶνες), numerosus populus, qui aestate relictis ad mare pecoribus ad locum cui Augila nomen, adscendunt palmulas collecturi IV. 172. Nasamonibus contermini sunt Psylli (Ψύλλοι), quorum terra in Syrti omnis est sita (Her. non cognovit nisi unam Syrtim et hanc quidem): interierunt autem, ut Libyes narrabant, in deserto arena obruti (v. Hecat. Ψύλλοι ... ὁ Ψυλλικὸς κόλπος μέγας καὶ βαθὺς τριῶν ἡμερῶν πλοῦς). Exstinctorum regionem Nasamones occuparunt. Supra hos meridiem versus in regione feris frequente unus populus nominatur et seiunctus: Garamantes (Γαράμαντες), qui contrariam ab alteris Garamantibus (vide antec.) naturam timidam habent: quemcunque hominem fugiunt et cuiuscunque commercium: nec arma ulla ad belli usum hi habent nec pugnare norunt: v. Mela I 4. Plin. V, 5. (alii volunt hoc loco legere Gamphasantes). Iuxta mare et ab occidente Nasamonibus sunt Macae (Μάκαι). Per eorum ditionem Cinyps fluvius (Κίνυψ ποταμός), ex colle profluens cui nomen Chariton (Χαρίτων), in mare provolvitur. Hic collis nemoribus frequens est, quum reliqua Libya ab Aegypto usque ad hunc collem sita arboribus nuda sit. A mari ad illum stadia sunt ducenta, IV 175. Macis proximi sunt Gindanes (Γινδάνες) IV 176. Deinde Lotophagi (Λωτοφάγοι) oram Gindanum, quae in mare prominet, habitant. Hos, secundum mare, excipiunt Machlyes (Μάχλυες): pertinent hi ad flumen magnum cui nomen Triton (Τρίτων), infunditurque is fluvius in magnum lacum Tritonidem (Τριτωνὶς λίμνη), in quo est insula cui nomen Phla (Φλά): hanc insulam aiunt Lacedaemonios ex oraculi effato co-

lonis debuisse frequentare IV 178. 179. Lacum autem ipsum ex opin. Her. cohaerere cum mari apparet ex iis quae narrat, Iasonem venientem ex Malea insula, priusquam terram conspexisset, haesisse in brevibus Tritonidis lacus; quae quum ita sint, Uckert perperam eum depinxit. Machlyum finitumi sunt **Ausenses** (Αὐσεῖς), qui dirempti interfluente Tritone fluvio ex altera parte Tritonidem lacum accolunt.

β. **Populi qui a Tritone fluvio occidentem versus incolunt:** II 190—200.

Hic Libyae tractus occidentem spectans montanus est et multo frequentior feris sylvisque quam Nomadum regio. Primi sunt II 191 **Maxyes** (Μάξυες): finitumi sunt Ausensibus ab occasu Tritonis fluvii et Agricolae Libyes (ἀροτῆρες Λίβυες) et stabilibus domibus utentes: (Hecataeus nominat eos **nomades**. fr. Claus. 304. ap. St. B. Μάζυες οἱ Λιβύης νομάδες, εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεροι Μάξυες καὶ ἕτεροι Μάχμες). Mihi quidem non, ut Clausenio, ἑτέροις utroque loco legendum videtur, sed ut minus coniectemus, Μάχλυες pro Μάχμες. Sequuntur **Zaueces** (Ζαύηκες) IV 193. quos nominat tantum Hecat. fr. 307. Horum finitumi **Gyzantes** (Γύζαντες) IV 194. et prope eos **Cyraunis insula:** κατὰ τούτους δὲ λέγουσι Καρχηδόνιοι κέεσθαι νῆσον, τῇ οὔνομα εἶναι Κύραυνιν: verbis κατὰ τούτους hoc loco situm versus occidentem significari oportet, quod in tota descriptione Herodotus ab oriente incipiens ad eam regionem occiduam est progressus. Quare insula Cyraunis extra columnas est ponenda, quod affirmatur quoniam in sequentibus statim c. 196 de terra extra columnas sita loquitur noster. Uckert igitur prorsus per-

peram depinxit Cyraunin insulam inter Sardiniam et Zaueces. Insulam ipsam autem aiebant Carthaginienses, ut rettulit Her. II 195, ducentorum stadiorum esse longitudine, latitudine arctam, in quam transiri e continente posset.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

